

AQUAE

MINERALES SULFUREAE

HUNGARIAE

AUCTOR:

A. S. STOLTZ.

1641

**AQUAE
MINERALES - SULFUREAE
HUNGARIAE.**

108

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

ANNUENTE INCLYTA FACULTATE MEDICA

PRO OBTINENDO

MEDICINAE DOCTORIS GRADU

IN


REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE

HUNGARICA

EDIDIT

SAMUEL AUGUSTUS STOLTZ

HUNGARUS EPERIESSIENSIS.



5721

53403.

JUN 20 1833

*In Theses adnexas disputabitur in palatio Universitatis
die 16. Aprilis Anno 1833.*



PESTHINI.

TYPIS JOSEPHI BEIMEL.

Aquarum Hungariae miracula narraturis, multa se offerunt, quae uti relatu digna sunt, ita difficilem habent indagationem.

Belius Matthias in Hungariae antiquae et novae prodromo, Norimbergae 1728. L. III.C.4.

— — — zu träge des Karpath's Höh'n
Und seiner Höhlen Klüft' zu durchforschen, wo
Der Steinwelt, und des Gewächsreiches Schätze
Ungenützt ruhen.

Theone (Theres von Artner)
Die Felsen von Szúlyo, besungen in
Bredczky's Beiträge zur Topographie
des Königreichs Ungarn. Wien 1803.
S. 24.

S e i n e n

BESTEN ELTERN

widmet

d i e s e **B l ä t t e r**

a u s

unbegrenzter Dankbarkeit

u n d

kindlicher Liebe

der

Verfasser.

Prologus.

Amor in perdilectam patriam et, qui proh dolor in dedecus aevi nostri cedit, exacte pertractatarum notitiarum Hydrographicarum defectus, compulere me, quaedam de aquis mineralibus sulfureis stricte duntaxat regni Hungariae scribere, ac publici juris facere. Grande quidem et arduum suscepi opus. — Exiguus etenim, quos hucadusque possidemus, de aquis Hungariae tractatum numerus, eorum vero, qui lucem conspexere, defectus; analyses chemicae aquarum nostrarum nonnullarum solummodo genuinae ac perfectae, multarum incompletae, quinimo falsae, plurimarum vero hodiedum ignotae; dissensio auctorum frequens atque multiplex; erronea aquarum denominatio, hinc unius

ejusdemque aquae sub diversis nominibus pertractatio; nulla in ordinem systematicum aquarum relatio et enumeratio; multaque alia non paucos vilesque posuerunt mihi obices, quos gratioso moderatoris mei charissimi auxilio, quantum licuit superare conabar. Luculenter igitur patet veritas edicti cel. **Mathiae Bel.** — Quodsi tamen eo non obstante errores quidam irrepsissent, **Vos** supplex oro, **severi Arbitri**, quos notitia aquarum Hungariae minime fugit, benigno non severo judicare dignamini animo, quantum enim poterant, tenerae meae tulerunt vires, in magnis nam voluisse sat esse.

Dabam Pesthini festo Parasceves 1833.

Auctor.

I n t r o d u c t i o .

Oxxygenii cum hydrogenio nexus a quam facit, quam tamen perfecte puram, exclusiva elementorum suorum unione constantem, in natura nusquam reperies. Admiscentur materiae peregrinae aquae, eo jam, quo oritur, momento, dum nempe vel abdito sinui terrae, vel ex ambiente nos atmosphaera elabatur. Hoc respectu purissima est aqua glacialis et nivalis, opposita vero huic aqua mineralis, gradationibus et transitibus diversissimis intercedentibus. Hinc prima aquarum in meteoricas et telluricas divisio. Aquae meteoricae, frigore densatis vaporibus, forma nebulae, roris, pluviae, nivium et grandinis ad nos pertingunt, quarum mixtionis chemicae ratio jam in conditione atmosphaerae electrico-chemica, jam in elementis organicis, aërem incolentibus reposita est. — Aquae telluricae, terrae solius progenies, essentialiter characterisantur partium constitutarum volatilium et fixarum opulentia et nexu, atque independentia mixtionis ab influxibus externis. Principem inter has locum occupant aquae minerales, mixtione et temperatura ab invicem differentes, triplici inprimis respectu considerandae: physico-chemico, geognostico-geologico et medico-practico; — hocque modo progressurus, dum succinctam aquarum mineralium descriptionem molior, tria inprimis mente mihi volvenda reputo,

rationem nimirum mixtionis, causalia formationis momenta, et his respondentem actionem aquarum: — quibus generalibus praemissis, specialem aquarum sulfurearum contemplationem ordiar.

S e c t i o 1^{ma}.

Generalis aquarum mineralium consideratio.

§. 1.

Relationes physico-chemicae.

Aquae minerales proprio, quo gaudent habitu minerali, nexu partium constitutarum et inde fluente efficacia ab omni alia aqua differunt; — quae si usui medico selectae habeantur nomine proprio: fontes soterii, aquae medicatae salutantur. Qualitas igitur et quantitas partium constituentium, praepremis vero harum nexu, quo fit, ut totum oriatur natura et actione a partibus suis prorsus distinctum, efficaciae aquarum soteriarum in organismum rationem sufficientem reddunt. Quaerendum igitur primum quibus et qualibus partibus componitur aqua, dum simpliciter examinatur, — tum vero artis ope (per reagentia) in elementa resoluta.

A) Partes aquarum mineralium absque decompositione.

a) Qualitas partium.

Dum quaeritur: quales sunt aquarum mineralium partes? eas omnino cum partibus constitutivis mineralium telluris nostrae convenire asserendum erit. Jam antiquissimi Chemicis suspicabantur in aquis minerali-

bus sales metallicos: aurum, argentum, cuprum. Falconer invenit wismuthum, zincum, plumbum, cuprum: — recentiores plura etiam, ut manganum, zincum sulfuricum etc., imo Fichtel etiam arsenicum detexerunt.

Aquae igitur minerales saltim plurimae partibus anorganicis constant: — organicae, si adsunt, partim ortui, partim atmosphaerae tribuendae sunt. Illic res ad duo momenta redit:

1) Fontes profunde siti continent metalla, cum acidis muriatico, sulfurico, phosphorico, carbonico juncta, — terras et alcalia, parum principii extractivi: — fontes vero superficiales etiam partes organicas, et acida vel ex atmosphaera vel ex organicis orta, ut: nitricum, aceticum, quae inventa esse dicuntur.

2) Memorabile est discrimen in fontibus, diversitate et numero partium innixum. Fontes plures, frigidi et calidi, 4 — 6 sales tenent, efficaciam notabilem habentes, dum alii, quorum actio cum priori collata fere evanescit, duplicem imo triplicem partium numerum gerunt. Hoc respectu fontes e montibus primitivis secundarios simplicitate superant.

b) Quantitas partium.

Per hanc gravitas specifica aquae mineralis determinatur. Sunt autem partes vel fixae vel volatiles. Volatiles a) gasa constituunt, quorum proportio pro diverso anni tempore, tensione electrica atmosphaerae, temperatura aquae, et momenti nobis non notis admodum variat. Partes fixae, solidae, quarum copia juxta aliquos essentiam aquae mineralis constituit; — quod tamen verum non esse contem-

a) Saussure determinavit: 100 partes aquae suscipere gas hydrogenii sulfurati 253; gas acidi carbonici 106 partes.

platio acidularum et martialium aquarum evincit. — Abundant maxime partibus solidis aquae, salibus muriaticis et sulfuricis graves; — contra fontes sulfurei frigidi, martiales et acidulae defectu solidorum premuntur. Ceterum proportionem partium quantitativam pro diversis adjunctis variare, superfluum est monere. Id saltem certo constat, in fontibus profundis absolutam aquarum copiam influxibus externis augeri vel minui posse, quin proportio partium mutetur; — quod de thermis eminenter valere, probant observationes, quas a saeculis jam ejusdem temperaturae et efficaciae auctores asserunt. b)

c) Nexus partium.

Nexus partium determinatur per earum analogiam vel diversitatem, solubilitatem, affinitatem et per aquae temperaturam.

1) Nexus partium volatilium cum aqua. Regiones quaedam tam multum gas acidi carbonici vel gas hydrogenii sulfurati eructant, ut cuncti earum fontes, dum in lucem emergunt, his scateant. Illic tamen non copia, sed nexus potius firmior vel debilior considerari debet. Quo respectu eae prae ceteris laudandae aquae, quae, quod tenent, gas diutissime conservant. Gas acidum carbonicum experimentis factis longiori tempore aquae inhaeret, et in aqua Borszékiensi ejus fixitatis esse asseritur, ut gradu 50 Th. Reaum. sensim solum volatilisetur. — Gas hydrogenium sulfuratum levius, jam natura sua aqua parum ligatur.

2) Nexus partium fixarum (solidarum) mechanicus (mixtio) a chemico (solutio) distingvendus.

b) Jam Plinius laudat fervidam aquam Wisbadensem, quae hucusque perstat. — Paracelsi encomia aquarum Helvetiae post tria nunc saecula vera sunt.

Tenendum autem, in fontibus saepe detectum analysi chemica nexum, legibus affinitatis chemicae haud explicandum, obtinere. Sic observatum est, in eadem aqua, sales carbonicos, muriaticos et sulfuricos eodem tempore solutos inveniri. Quod si errori investigationis non debetur, proprio processui adscribendum erit. — Seriem inchoant aquae, partium mineralium defectu et nexus simplicitate aquae vulgari affines, — claudunt thermae, partibus efficacibus, mixtione intima et temperatura insignes; — aquis mineralibus frigidis, partibus volatilibus et fixis impraegnatis, medium occupantibus locum.

Ad primas referendae aquae amarae, aluminatae et ferratae, acido carbonico libero destitutae: — ad medias acidulae, aquae martiales et muriaticae cum acido carbonico libero, et aquae sulfureae frigidae: — thermis tertiam classem facientibus.

d) Temperatura aquarum.

Temperatura hic eo solum consideranda venit, quatenus ad mixtionem aquarum confert, missis etiam factis distinctionibus graduum temperaturae.

Aquae minerales frigidae plurimae gas acido carbonico abundant, quod per ipsum frigus aquae firmius jungitur, calore abigendum: nexu fixorum fere solum mechanico accedente.

Thermae temperaturam, quam habent, altam, gasa fugant, partium fixarum nexum intimum efficientes.

B) Partes aquarum mineralium medio decompositionis.

Decompositione aquarum casuali vel artificiali nexus partium tollitur, et obtinentur partes constituentes duplices: remotae et proximae.

1) Partes const. remotae.

Partes elementares resolutione partium proximarum separantur. — Licet Chemiae recentioris progressus, nominatim stoechiometrica elementorum determinatio, summi omnino alio respectu sit usus, exiguae tamen dignitatis adminiculum constituit proprietates aquarum mineralium definiendi: — adeo, ut earum lustratio frustranea foret. Quo enim simpliciores (subtiliores) sunt partes constituentes, quo intimior earum nexus, eo minor lux affulget e quantitativa atomorum relatione. Si vero insuper innumerarum modificationum et essentialium mutationum ratio habeatur, quas percurrere partes constituentes necesse est, donec in elementa resolvantur, patet, e chemica elementorum determinatione, ad qualitatem et efficaciam justam omnino non esse conclusionem.

2) Partes const. proximae.

Quo momentosior harum cognitio respectu chemico et therapeutico est, eo magis accusanda manca aquarum multarum analysis. Generalia de aquis mineralibus scribenti mihi sufficiat, partium const. propriorum enumerationem, pro diversitate proprietatum chemicarum, simplicem subnectere.

A) Sales metallici.

- a) Ferrum: formae: carbonas, sulfas et murias ferrosi; — ferricum.
- b) Manganesium recentius, forma oxydi.
- c) Strontiana.
- d) Cuprum (dubium).
- e) Zincum, forma sulfatis zinci.

B) Sales alcalini et terrei.

- a) Sales sulfurici: natrum, magnesia, calcaria, alumina, kali, lithium, baryta sulfurica.

b) Sales muriatici: muriates sodae, talci, calcariae, kali, ammoniae, lithii.

c) Sales carbonici: natrum, calcaria, talcum, kali, lithium carbonicum.

d) Sales hydrothionici, confer sulfuricos.

e) Silica, exigua quantitate.

f) Sales phosphorici, natrum, kali phosphoricum.

g) Sales fluorici, calx fluorica.

h) Sales boracici.

i) Sales nitrici, kali, calx, talcum nitricum.

k) Sales vegetabiles, acetates; acidum formicicum in aqua Prinzhofensi.

C) Sulfur, Jodina, Bromium.

D) Principium extractivum (resinosum vel animal-organicum).

E) Gas a.

a) Gas acidum carbonicum.

b) — hydrogenium sulfuratum.

c) — azotum.

d) — hydrogenium carbonatum.

e) — hydrogenium.

C) *Aquae minerales artificiales.*

Aquarum mineralium multiplici usu inducti medici, eas ubi deficient, arte supplere adnisi sunt; inter quos praecipue commemorari merentur F. Hoffmann, Bergmann, et princeps omnium Struve. Vulerunt autem secundum analyses factas, eandem aquae simplici, quae in medicata obtinet, indere mixtionem, partium nimirum volatilium et fixarum additamentis. Struve c) ad sequentes leges parationem aquarum

c) I. A. A. Struve: über Nachbildung der natürlichen Heilquellen. 1824 — 1826.

mineralium reduxit: Adsint omnes partes constituentes, pondere et nexu necessariis; — quae bibuntur aquae, ad remotiora loca mittendae, mutationum tempore intermedio obtinentium participes reddantur; — damnanda scopo augendae efficaciae methodus, gasa majori quantitate addendi; — in praeparatione partes non jungantur promiscue, sed justus et naturalis observetur ordo; temperaturae ratio habeatur summa. His observatis asserit auctor eximius, aquas suas artificiales, naturalibus natura et actione prorsus analogas esse. — Nos merita virorum aquis artificialibus penum pharmacorum efficacium ditantium minime impugnantem, comparatione emolumentorum ex aquis utriusque generis facta, iudicium Lectoribus relinquimus.

Emolumenta aquarum artificialium:

- 1) Aegri et morbi necessitatibus conveniens creari potest compositio in natura non obvia.
- 2) Cura perficitur absque impendio temporis, expensarum et itineris,
- 3) Aquae plures junctim in usum vocari possunt.
- 4) Habitus aquarum tempestatis vicissitudinibus obnoxius non est.
- 5) Medici ordinarii observatio, summe certe necessaria, porro quoque admittitur.

Emolumenta aquarum naturalium:

- 1) Relationes loci, clima mite, situs amoenus, naturae pulchritudo, societas, aegro summopere conducunt.
- 2) Vitae ratio mutatur, relationes aegri fors odiosae, in morbis chronicis non negligendae, tolluntur.
- 3) Itineris effectus curam praeparatoriam sistit.
- 4) Adhibentur aquae mixtionis integrae.

5) Modus adhibendi aquas medicatas plures admittit modificationes: in artificialibus hucdum desideratas.

§. 2.

Relationes aquarum mineralium geognostico-geologicae.

Origo aquarum mineralium non parum exercuit ingenia virorum omnis saeculi, ita ut naturae scrutatores, Medici, Philosophi, Theosophi, Mystici in explicando earum ortu desudaverint. Hypothesium enumeratio, intermissa crisi, hujus loci est.

Plurimi Chemici et Medici hodie etiam processum mechanicum - dynamicum statuunt, quo aqua vulgaris, strata montium perfluens, partes ibidem vel solvit, vel mechanicè admixtas secum fert.

Aliis processus hic est chemicodynamicus, decompositione materiaram chemica, et mixtionum formatione insignis: vel pure chemicus, fermentatio inter aquam et strata calcariae vel sulfuris.

Dynamici vires telluris magneticas, electricas, galvanicas aquas minerales creare asserunt. — Schelling, Steffens et alii batteries galvanicas in visceribus terrae adesse contendunt, medio quarum obtinet sic dictus organico-telluricus galvano-chemismus.

Memoratu digna est assertio Kefersteinii: Formatio omnis aquae et fontium efficitur per proprium processum respirationis telluris, per quem terra aëreum atmosphaericum oxygenio gravem absorbet, anoxydatum exhalat, sicque aquam format.

His praemissis ipse locus aquarum mineralium considerandus est: — montes itaque et terrae strata, nec non clima et situs loci attentionem in se trahunt, quin immemores simus, inter terram et ambientem at-

mosphaeram obtinere aliquem dynamo-chemismum, cujus tamen vis cum atra adhuc tegitur caligine, nec effectuum, quos prodit, examen admittitur.

1) Montes et strata terrae, respectu situs, directionis, decursus, aetatis, formationis et habitus chemici considerata, in quibus attentio convertenda in id: num aqua eo, in quo scaturit, orta sit loco? et num situm profundum vel superficiale habeat? Compertum hac in re habemus: acidulas plurimas et thermas catenas montium sequi d); aquas vero sulfureas frigidas et martiales saepius a montibus isolatas prorumpere, loci relationibus respondentes: — priores in montibus primigeniis residentes situm profundum tenere, has vero e stratis terrae formationis recentioris scaturire.

2) Climatis et situs ratio jam a Hippocrate aestimata fuit, cui nunc quidam (Mathei) tantam tribuunt dignitatem, ut aquis mineralibus usum omnem abnegarent, dum alii contrarium statuentes chemicam aquarum mixtionem, a climate independentem, solam celebrant; — nos momentis his junctis veritatem inesse asserimus. — Climatis vero conditio determinatur praecipue per situm regionis. Soli indoles, cultura, vegetatio, aquae stagnantes, cum effluviis propriis, aquis mineralibus in bonam malamve partem cedunt. Natura amoena, pulchra, sublimis, cultura loci assidua, vegetatio laeta, suam ad augendam aquae efficaciam conferunt, nec exiguam symbolam; — prout aquae stagnantes, cum effluviis nocentibus (mephiticis) febres intermittentes, aliosque morbos pertinaces, endemicos provocant, ipsam incolis vitam vix 50 annis concedentes. Quid effluvia locorum sulfurea,

d) ita ut e genere aquarum ad montium et mineralium praesentiam vel viciniam concludere liceat et v. v.

hydrocarbonica etc. mali causent, indoles ipsa eorum docet. — Montium vero vicinorum praesentia et decursus, prout asperitatem propriam regioni conciliat, ipsam etiam aquarum indolem et efficaciam in suam partem non trahere non potest. Prout vero aquarum situs vel patens est, vel saxeis muris cingitur, regioni et incolis in noxam vel emolumentum abit.

§. 3.

Divisio aquarum mineralium.

Quotquot hucusque factae sunt divisiones, ad unam omnes vel partibus constitutivis chemicis (proximis), vel actioni aquarum innituntur, Archigenes distinxit aquas nitrosas (alcalinas) aluminosas, sulfurosas et salsas. Paracelsus e Chemi-mysticismo exeuns classes duas: fervidas (Wirdbäder) et frigidas (Säuerlinge) statuit, — ordines secundum partes constitutivas desinivit. — Innumeris dein classificationibus aquarum mineralium omnis scriptor suam adhuc addidit. Quousque igitur principium certum divisionis, omnibus nempe numeris absoluta analysis aquarum chemica dabitur, minime erraturum me censeo, si cum cel. Hufeland aquas secundum habitum chemicum, in nexu cum efficacia medica classificavero, has statuens classes:

- 1) Aquae minerales ferratae (martiales)
- 2) — — sulfureae.
- 3) — — alcalinae.
- 4) — — magnesia - muriaticae.
- 5) — — kali - muriaticae.
- 6) — — natro - muriaticae.
- 7) Acidulae.

§. 4.

Formae adhibendi aquas minerales.

Diversa, qua adhibetur aqua mineralis forma, dependet partim ab organis, quibus immediate vel proxime applicatur, partim a mutationibus, quae vel atmosphaerâ, vel temperatura, vel arte scopo determinato aquis inducuntur. Inde hae sunt formae:

1) Potio, usus aquae internus, a medico dirigenda.

2) Balneum (sensu lato) vel commune, vel singulis individuis dicatum, — vel cadis aqua repletis.

3) Embrocatio (Douche) applicatio aquae violentior in partem determinatam forma unius aut plurium radiorum. Species eius pro ratione adhibendi et quantitatis radiorum aquae plures sunt.

4) Balneum vaporis et gasis, vel vaporem aquae, vel substantias volatiles (gasa) recipit. Respectu qualitatis igitur balnea haec cum gas acido carbonico, gas hydrogenio sulfurato et vaporibus thermarum, imo et aquarum frigidarum adhibentur. Quibus vel propria cubicula, vel cadi, vel adparatus peculiare inserviunt.

5) Balneum caeni (Italis Lutatura) paratur praecipitatione partium volatilium et fixarum ex aquis, vel adduntur praecipitatis species aliae terrarum. Caenum ut e diversis confit partibus, inde nomen etiam sortitur, ut itaque habeamus caenum minerale sulfuratum, carbonatum, martiale, muriaticum, terreum, animale. Pro ratione vero indicationis vel universale vel topicum est.

§. 5.

Regulae generales circa usum aquarum mineralium.

1) Selectus anni temporis. Periodus a Junio ad Septembrim, vita totius universi insignis, convenientissima est: speciatim, qui nevrosibus et malis pectoris vexantur, iis Junius et Julius svadendus, ne cura posthuma tempore elabatur: arthriticis, ob constantiam tempestatis Julius et Augustus optimi.

2) Aegrorum nullus absque consilio et directione medici aquas minerales adhibeat.

3) Vitae ratio ordinata, nunquam satis commendanda, sequentia complectitur: animi hilaritatem et tranquillitatem, regularem temporis partitionem, motum convenientem, alimenta selecta.

4) Cura pharmaceutica, ad adjuvandum aquarum effectum, vel adjunctis id desiderantibus, raro solum concedatur.

5) Usus aquarum mineralium in genere non commendetur sanis, menstruantibus, gravidis, infantibus, senibus decrepitis.

Regulas speciales pro singulari aquarum mineralium genere et forma, velut non hujus loci praeterire, consultum duxi.

§. 6.

Historia succincta aquarum mineralium.

Primordia de cognitione, usu, et adplicandi modo aquarum mineralium, prout incunabula gentis humanae, atra fuscantur caligine. Id certum est, antiquissimis temporibus populos frequenter balneasse;

plurimum quidem undis fluminum mergebantur, ast et calida domi parabant balnea.

Graeci jam aevo, quo mythus historiam eorum maxima parte explet, loquebantur de balneis, quibus nomen *Ἱεράκλειά* impertitum fuit. Prout seriori tempore Graeci ad eorum Gymnasia et Palaestras aedificia balneis dicata publica extruxere, subjunctis simul aliis exercitiis, sic quoque usus balneorum frequentior et universalis evasit. De quarum virtute et efficacia miraculosa credebantur, thermarum prima rudimenta visuntur eadem periodo, qua balnea primum in usus vocabantur. Usus et adplicatio earum praecipue aquarum obtinuit, quae calore nativo imbutae e terrae sinu scaturiebant. In vicinia harum erecta et iisdem sacrata sunt templa, quae catervatim a plebe, zelo religioso ducta, visitabantur. — Inter ceteras praepriis ad templum Aesculapii in Kenchrea, Lerna, Korona et Patra colebantur thermae.

Romani initio solummodo undis Tiberis mergebantur: saeculo tantum secundo post conditam urbem progrediente cultura ad altiorem perfectionis gradum, balnea calida adhiberi ceperunt, quae tum durante bello punico tertio, evanescente strenua disciplina, et advenientibus Graeciae medicis, magis magisque propagabantur, donec increscente luxu, Romae et in universa Italia in consuetudinem et delicias abierint. Centum circiter annis ante nostram computandi methodum introductus est cum frictionibus conjunctus aquarum mineralium usus, qui ad tempora Imperatoris Constantini usque vulgaris fuit. Exceptis quibusdam privatorum aedificiis prostabant innumera instituta publica, in quibus tam gustus aestheticus, quam luxus aemulabantur, Balnea haec nominabantur Gymnasia, quae imitamenta thermarum graecarum fuere, mentis et corporis culturae dicata, initio medicorum curae sub-

jecta, uti id tempore Galeni videtur. Introitus in thermas publicas omni tempore, sub imperatoribus noctu quoque cuilibet patuit, quo factum est, ut luxuriae et excessuum centrum thermæ haberentur. Memoratu dignissimis adnumerantur thermæ Caracallae, Diocletiani et Constantini.

Succedente tempore usus aquarum mineralium magnum decrementum passus est. Saeculo enim XVI-o cum per balnea, et horum cubilia morbos contagiosos, imprimis luem syphiliticam latius propagari crederetur, arctis detinebatur cancellis, ob timorem infectionis in Germania et Italia: — e) qui saeculo XVIII-o denuo resuscitatus, progressibus Chemiae adjunctus, insigniter excolebatur.

Saeculum nostrum, non numero annorum, sed novis inventis et detectionibus insigne, ad id perfectionis fastigium doctrinam de aquis mineralibus evehit, e quo in universam medicinam practicam summa redundat utilitas.

S e c t i o 2^a.

De aquis mineralibus sulfureis in specie.

§. 7.

Aquae sulfureae sunt aquae minerales, quarum partem constitutivam essentialem sulfur qua tale, vel substantiis aliis junctum constituit; — efficacia indita sulfuris actioni analogae, mixtionis duntaxat ratione modificatae. Differentiae aquarum sulfurearum inter

e) Henslers *Geschichte der Luftseuche* 1. Th. S. 106.

se, et communia cum aquis mineralibus ceterarum classium ex iis, quae Sectione 1-a dixi, primum habent explicatum.

§. 8.

Characteres physico-chemici.

Aquae sulfureae frigidae aequae ac calidae ut plurimum sunt diaphanae, colore saepe dilute-caeruleo in viridescentem vergente tinctae, dum tanguntur molles, pingvi-saponaceae adparent, odore et sapore characteristico, hepatico, praeditae, qui pro ratione nexus cum gas azoto, et praesentia aliarum partium constitutarum solidarum, jam intenduntur, jam minuuntur. Thermae sulfureae, praeter hepaticum hunc odorem et saporem, peculiari lixivioso, animali praegnant; — aquae vero sulfureae frigidae, nonnunquam notabilem gas acidi carbonici liberi quantitatem tenentes, peculiarem hac de causa in naribus cieunt pruritus.

Actione protracta aëris atmosphaerici, altioris temperaturae, vel adjectis acidis muriatico aut nitrico, contingit sulfuris decompositio. Pars sulfuris volatilatur, quae abactio, dum in spatio clauso fit, sublimatur in parietibus forma sulfuris pallido-flavi; — pars alia praecipitatur vel ad fundum vasis, forma praecipitati nigri, vel in superficiem aquae instar cuticulae coloratae.

Inest vero sulfur classi huic aquarum forma gas hydrogenii sulfurati, salium hydrothionorum et sulfuris oxydati. Praeterea tenent aquae sulfureae e volatilibus: gas acidum carbonicum et gas azotum, — paucae gas hydrogenium carbonatum; — e solidis vero ceu praedominantes: sul-

fates, muriates et carbonates terrarum et alcalium, quantitate minori ferrum, manganum, extractivum (Glairine recentiorum), sales phosphoricos et nitricos.

§. 9.

Species aquarum sulfurearum.

Pro diversitate actionis primariae, et huic respondentis mixtionis sunt:

1) **Aquae alcalino-muriatico-sulfureae.** E partibus fixis tenent praecipue natrum muriaticum et carbonicum, proportione minori sales sulfuricos, muriaticos et carbonicos; — e volatilibus gas hydrogenium sulfuratum, acidum carbonicum liberum, saepe gas azotum.

2) **Aquae alcalino-salino-sulfureae:** Ratione mixtionis prioribus analogae, accedente solum natro sulfurico distinctae.

3) **Aquae terreo-salino-sulfureae.** Prioribus partibus volatilibus similes, respectu fixarum eo diversae, quod sales sulfurici et muriatici terrarum, praedominantes partes constituentes forment; accedunt terrae carbonicae, natrum sulfuricum et muriaticum.

4) **Aquae martiali-salino-sulfureae.** A prioribus habitu martiali, in actione probe reputando, distinctae.

§. 10.

Actio aquarum sulfurearum.

Quaecumque sulfur in aquis sulfureis teneat formam, actio earum generalis et primaria huic tribu-

enda est. Assertio nonnullorum, aquas sulfureas gas hydrogenio sulfurato vim praecipuam in acceptis referre, eo jam dubia videtur, quod efficacissimae aquae sulfureae exiguam solum quantitatem gas hydrogenii sulfurati teneant f) — Fontes igitur sulfurei, efficaciam sulfuris debent, et conveniunt reapse cum analogae sulfuris actione. Est vero actio sulfuris incitans stimulo volatili, organismi tamen penetralia subintrans. Chemice et dynamice aquis martialibus oppositae, remonent et abigunt aquae sulfureae, quae graviores aquae martiales fixant, ligant et retinent. Dum itaque hae systema musculare, vasorum arteriosorum et his affinia organa tharacis praecipue afficiunt, pollent aquae sulfureae specifica actione in systema venosum ejusque focum, organa nempe cavi abdominis, nominatim hepar, et systema venae portarum, — his proxime afficitur systema membranarum mucosarum et cutis externa.

Pro diversa vero organorum et systematum organicorum functione incitans aquae sulfureae actio proprias subit modificationes; nempe:

1) Pollent aquae sulfureae actione specifica in omnia organa se- et excernentia, functionem eorum promovendo, expediendo, et eo ipso qualitatem etiam se- et excretorum mutando, — praecipue exeritur vis haec specifica in cutim externam, membranas mucosas tubi intestinalis et viarum respirationis, atque vasa absorbentia, — pro diversa igitur organi indole, diaphoretica, solventia, expectorantia, alvum ducentia remedia sistunt. E peculiari vero sulfuris ad certas materias relatione, specifica in vasa

f) in aqua Aquisgranensi (thermae) in centum partibus evolutorum gasium reperta sunt: gas azoti 69, 5. gas acidum carbonicum 30,0. gas hydrothionici hypersulfurati 0,5 (!).

resorbentia et cutim externam virtute, facile explicatur aquarum sulfurearum repurgans, mixtionem humorum immutans, fomites morbificos et substantias heterogeneas alias, in organismo haerentes, neutralisans, expellens efficacia.

2) Peculiaris competit sulfureis aquis actio in systema vasorum, praecipue venarum et organorum homogeneorum, systema nempe venae portarum, cholopoëticum et uterinum, eminenter vero in vasa haemorrhoidalia. Agunt in haec systemata incitando, sanguinis cursum accelerando, leniter calefaciendo, et organorum cavi abdominis functiones promovendo, evolviendo.

Peculiaris vero aquarum sulfurearum actio per variam earum mixtionem determinatur.

Aquae sulfureae calidae characterisuntur temperatura insigni aucta, volatili, irritante, penetrante, exaestuante actione. Hac virtute proxime accedunt thermis alcalinis et salinis, quas non raro accedente sulfuris vi superant. Prout vero alcalia carbonica vel sales terreos tenent, simul etiam plus minus solvunt, se- et excretiones incitant.

Inter aquas sulfureas frigidas alcalinae maxime volatiles sunt, ob natrum carbonicum et partes volatiles, quibus graves esse solent; hinc transitum faciunt ad thermas sulfureas, et in regula usus earum internus facilius fertur ac aliarum aquarum frigidarum. Mixtionis haec ratio specificam iis in systema uterinum et uropoëticum addit efficaciam — quo respectu acidulis accedunt. Aquae sulfureae frigidae cum praevaletibus salibus terrarum, magis in tubum intestinale agunt, solvendo, alvum facilitando, — fontibus muriaticis magis analogae.

Licet vero in aquis sulfureis quibusdam ferrum exigua solum quantitate adesse videatur, his tamen

proprius inest agendi modus, quatenus neutralisatum maie sulfur tonica et fixa magis efficacia imbuitur. Has igitur ad aquas martiales transitum formare, patet.

§. 11.

Usus aquarum sulfurearum.

Aquae sulfurcae, prout omnes aliae medicatae vel externo usui inserviunt, quod consvetissimum est, nec tamen admodum raro, praeprimis calidae, hauriuntur etiam interne. Usitatissimam formam constituit balneum, praeter quod embrocatio, balneum gas- et vaporosum, nec non balneum caeni universale vel topicum occurrunt. Cum itaque ubique locorum et a plurimis aegris bibantur vel balneo impendantur aquae sulfurcae, formis ceteris et peculiarem adparatum, et administrationis complicationem non ubique admittendam, supponentibus, et praecipue instituta majora requirentibus, in sequentibus, partem medicopracticam de aquis sulfureis constituentibus, potus praecipue et balnei rationem habiturus, reliqua vel obiter solum attingam, vel silentio praeteribo.

A) Indicationes pro aquis sulfureis.

Effectus salutare in quolibet casu exerere observamus aquas sulfurcae, in quibus vel productum vel casu languentis incitationis, sensilitatis et nutritionis e penetrantibus organismi sui eliminationem requirunt, ut id ex iis, quae de actione earum dictum est, abunde patet. Indicantur igitur aquae sulfurcae:

1) in morbis, qui a retardato per venas et vasa lymphatica, humorum progressu suam repetunt originem, uti in stagnante systematis venae portarum. uteri et haemorrhoidali sanguinis circulo; in deficiente se-

cretione bilis, retento fluxu catamaeniali et haemorrhoidali, ob systematis sangviferi singularem inertiam et laxitatem; tandem in stagnationibus systematis lymphatici et, quos ferunt, fructibus infaustis.

2) In morbis membranarum mucosarum langvorem vitalem involventibus, sive sint suppressae functionis cutaneae sequelae, sive metastasibus factis origo earum innitatur: e. gr. in chronica alvi constipatione aut diarrhoea, in blenorhoea vesicae, urethrae, uteri, vaginae, — aut in statu morbose incitato harum partium cum se- et excretionibus suppressis; in colluvie mucosa primarum viarum, in corhyza narium, catarrho, bronchitide et affectionibus pulmonum.

3) In morbis cutaneis, in quibus processus quidam morbosus exstingvendus, aut cutis in morbum renisus sollicitandus est: sic in psoriasi, adfectionibus herpeticis, imo et lue syphilitica.

4) In morbis rheumaticis, arthriticis cum torpore conjunctis, atque syphiliticis, praecipue vero in malis, quae per eosdem hos morbos provocantur, posthumis; in tumoribus, indurationibus et rigiditate articulorum, ligamentorum capsularium, membranarum fibrosarum et synovialium.

5) In malis chronicis a metallorum, indolis veneficae abusu, in corpore humano relictis, e. gr. arsenici, hydrargyri, plumbi.

6) In morbis, qui genitricem inflammationes et febres agnoscunt, sive sint obstructiones et indurationes, sive secretiones qualitate peccantes.

B) Contraindicaciones aquarum sulfurearum.

Tantae vero efficaciae, et tam multiplicis virtutis aquae sulfureae, sive potu hauriantur, sive lavando adhibeantur, quibus intempestive et perverse applicantur, aegris non nocere non possunt, quare ne-

cesse est, quibus eorum usus interdicitur, momenta novisse, quorum praecipua breviter enumerabo:

1) Corpus sanguine turgidum, ad vertiginem et apoplexiam praeparatum, ad congestiones sanguinis frequentiores versus encephalon et pectus dispositum, synocha et inflammatione organi cujusdam adfectum.

2) Habitus corporis nimis tener, haemoptisi obnoxius, feбри depascente, cum supuratione organorum interna exhaustus.

3) Major virium vitalium langvor et prostratio, morbus adynamicus gravior, nervosus, putridus, cachecticus, cum nisu in resolutionem et excretionem profusas.

4) Vitia organica cordis, cerebri, pulmonum et aliorum viscerum nobiliorum.

5) Dyscrasia scorbutica et syphilitica, quae tamen non semper interdiciunt usum harum aquarum secundum Stucke g), quinimo, ut is testatur, a multis medicis in his dyscrasiis commendatur.

C) *De usu aquarum sulfurearum.*

E praemissis haud difficile erit assignare morborum genera, in quibus harum aquarum, si rationalis institutus fuerit usus, salutare in restituendam amissam sanitatem exeret effectus.

Fit autem duplex aquarum sulfurearum usus; alter internus, externus alter. Prior locum duntaxat h) habere videtur, dum labiis hauriunt aegroti certum,

g) Abhandlung von den Mineralquellen im allgemeinen, von Dr. C. Stucke. Cöln. 1831. S. 46.

h) J. Wächter adducit in der Abhandlung über den Gebrauch der vorzüglichsten Bäder und Trinkwässer. Wien 1817 pag. 122. Doctorem Schenk Badenae aquam sulfuream forma elysmatum optimo cum successu adhibuisse.

a medico determinatum poculorum numerum: — posterior vero dum aegroti corpus vel immergunt collum usque aquis his, vel vero retinent obvelatum limo seu caeno, e quo aquae sulfureae scaturiunt, aut quod resolutae paulatim deponunt; vel partes adfectae singulae eodem foventur.

Genera morborum, in quibus jure vis salutifera aquarum sulfurearum commendatur, sequentia sunt:

1) Morbi cutanei chronici, in quibus cutis, vel ob majorem debilitatis gradum, vel ob suppressam ejus activitatem, vel tandem ob abnormem metamorphosim, functio quaecunque vel ejusdem regeneratio sollicitanda est. Huc pertinent: impetigines omnis generis, uti scabies, herpes, tinea capitis, crusta lactea, — exanthemata syphiliticae indolis, ulcera inveterata, sive pertinaciter in cute floreant, sive praecocius sanata, turbas ut plurimum graviores organorum nobiliorum provocent. Adnumerantur vero his turbis spasmi, dolores, febres, inflammationes, phthises, paralyses etc.

2) Adfectiones chronicae membrarum mucosarum organorum respirationis, quae per inflammationem, secretionem vitiatam, aut adfectiones spasticas sollicitantur, quo referuntur: catarrhi chronici, asthmata, colluvies pituitosa primarum viarum, blenorhoeae, phthisis pituitosa, phthisis incipiens ulcerosa, sive trachealis sive pulmonalis, dummodo febris validior, phlogosis intensior, crethismus major non adfuerint, denique similes adfectiones narium.

3) Morbi membrarum serosarum et fibrosarum, qui lentam in iisdem latere inflammationem supponunt: uti dolores rheumatici, arthritici diutius perstantes, et, quae hos aut ex longa admodum duratione morbi, aut ex eodem a partibus exter-

nis ad internas converso, excipiunt mala: tumores, rigiditas articularum, nodi arthritici, metastases variae, exceptis acutis, paralyses.

4) Morbi, quorum origo in resorptione neglecta, in retardato humorum per vasa sua motu, in secretionibus cohibitis radicatur. Spectant huc glandularum atque viscerum tumores, infarctus, obstructions, febres intermittentes diurnae, tertianae atque quartanae, secundum Speyer ⁱ⁾, scrofulae et aliae cachexiae, uti atrophia infantum, struma; tumores haemorrhoidales, retentio fluxus catamaenialis, denique et, quae in systema nervosum superius redundant, turbae, eadem de causa oriundae; hypochondria, hysteria, melancholia, mania etc.

5) Turbae, quae ab acido in humoribus secretis v. g. urina, praevalente, et a calculis originem suam repetunt: huc calculi fellei, renum et vesicae. Ast palliativum solummodo praestant effectum, dolores leniendo, non autem morbum radicitus tollendo. ^{k)}

6) Morbi, qui ab usui praeparatorum hydrargyri, plumbi, aut aliorum venenorum metallicorum debentur: tremores artuum, spasmi, paralyses, a vaporibus hydrargyri, febris mercurialis chronica, ptyalismus chronicus, colica saturnina, paralyses spasmi et febris lenta ab arsenico. — Iluc hisque similia porro, quae lues syphilitica in organismo relinquit mala posthuma, referuntur.

7) Neuralgiae, arthriticae et rheumaticae indolis, prout et neuralgiae a metastasibus exanthe-

i) Fr. Speyer: Ideen über die Natur und Anwendungsart natürlicher und künstlicher Bäder. Jena. 1805. S. 179.

k) Fr. Speyer, ibidem S. 178.

maticis, arthriticis et rheumaticis: rheumatalgiae, ischias, lumbago a causa arthritica, dolor facialis Fothergillii, migraena nervosa.

8) Helminthiasis. 1) Saepe enim visum est, ascarides et ipsam taeniam aquarum sulfurearum usu tam interno quam externo conjunctis, e corpore humano expulsos fuisse.

D) Cautelae circa usum aquarum sulfurearum.

1) Circa potum.

Bibantur aquae in facie loci, vel quod praestat, immediate ex ipso fonte, ne partes constitutivae effi- caces, indolis volatilibus, avolent, — vel in cubilibus. Optimus earum tempore matutino instituitur usus. Corpus enim per somni quietem restauratum, animus pro recipiendis e sinu naturae influxibus amoenis vivacior, ventriculus a peregrinis immunis, abundantia humorum per se et excretionem cutaneam atque renalem immi- nuta, organismum hominis pro suscipiendo salutari, quem exerunt aquae, effectu, magisabilem atque dispositum reddunt. Elucet hinc, quam observan- dam habent aegroti, regula: aquae hauriantur ventriculo jejuno. Quod regula haec exceptio- nes patiat, me etiam non monente, patet.

Tempus, quo aquae hauriantur, consuetim, si- tus loci, anni tempus, tempestas, mos, constitutio corporis, status morbi, consuetudo et voluntas matura auram petendi, numerus poculorum definito tempore hauriendorum, usus simultaneus balnei, et aliae circumstantiae determinant. Consuetae, quibus insti- tuatur usus, horae a 5-a ad 8-vam esse censentur.

1) J. Wächter opere citato pag. 120.

Quidam a prandiis quoque 5-am inter et 6-am horam bibere solent, ast si hoc fiat, quantitas aquae, quae tempore matutino sumitur, ad dimidiam restringatur. Quodsi tamen aegroti definitum poculorum numerum horis matutinis neququam ferre valerent, tum instituenda, quae praestat, divisio ea, qua altera portio horis matutinis, altera vero antemeridianis 10-am inter et 11-am sumatur. Omnis enim largior aquae haustus horis postmeridianis et vespertinis, non solum non prodest, verum obruendo ventriculum, digestionem et ulteriorem chymi elaborationem retinendo, vires corporis languidas reddendo, in detrimentum potius et potentiam nocentem convertitur.

Quantitas aquae bibendae dependet partim a receptivitate organismi, partim a statu morbi, partim denique a gradu efficaciae majori vel minori aquae. Hanc igitur medicus rationalis habito respectu trium horum momentorum, in quolibet casu individuali solummodo determinare potest. Sufficiat generales duntaxat commemorasse regulas: Curae initium exiguo poculorum numero ordiatur, incirca 2 — 4 per 4 usque 5 dierum spatium bibantur pocula, quorum numerus, sensim ad 8 — 12 augendus, nimodo ventriculi vires prosternantur, — nunquam tamen 20-um transcendant numerum. Ast neque quis numero poculorum ligandus est, bibat enim ad *τω*. sapere, et refectionem virium usque: tempestati convenienter calidis plus, minus frigidis bibitur diebus. Si a majori quantitate aquae noxii quidam effectus observantur, illico numerus poculorum restringatur, neque tamen abhorrendum ab augmento horum, si sub exordio curae molestias quasdam potio induxerit, nonnullis enim aquis id solenne est; — serius sensus gratus refectionis eas fugat. Frequentior fluidioris alvi evacuatio, praecipit quantitatem minuendam esse.

Modus quoque aquam bibendi commemoratio-
nem meretur. Nocet omnis largior una vice ingeren-
dus, praesertim frigidae aquae, haustus; hinc biba-
tur paulatim, nec plus poculo uno pro haustu. Initio
juvabit aquam frigidam ante deglutationem ore diutius
retinere, ad effectum frigoris demulcendum. Si dimi-
dium solum poculum uno haustu sumitur, pars re-
manens effundatur, recensque ad bibendum hauriatur.
Quos aquae sulfureae provocant, ructus impediuntur
per retentionem loquelaē post potum, per hos enim
efficacia sua multum spoliuntur.

Post potum instituaturs moderatus corporis mo-
tus, ut eo citior cum humoribus subsequatur mixtio
aquae, functioque organorum vitae plasticae magis
sollicitetur. Sic procedatur omni die dosim paulatim,
ad finem usque curae, augendo, quo a maximo gra-
datim recedendum ad minimum poculorum numerum,
nam repentina consuetudinis et vivendi rationis mu-
tatio, multorum morborum fertilis evadit scaturigo.

II) Circa balnea.

Dum balnea commendantur hominibus sponte pa-
tet, ea rationali inniti debere indicationi, et pro re-
rum adiunctis, normam balneandi variis subiectam
esse modificationibus.

Quo balnea in subsidium vocantur, tempus
sit itidem horis matutinis, et quidem, quantum fieri
licet, ante sumtum ientaculum; facultas enim resor-
bendi organismi, eotum maximo gaudet vigore, quo
nec vires digestionis impendi necesse est, cui tamen id
minus salubre foret, is omnino capiat cibum, ast ca-
veat ventriculum nimis onerare, quo in casu, post ela-
psum solum unius horae spatium, balneum ingredi-
atur.

Calidum balneum intrans, corpus sensim mergat undis, lavetque prius thoracem et caput; stimulo namque efficaci, calore, tumultuarie hominem afficiente, actio balnei violenta, ingrata erit, quae dum successive obtinet, vim moderatam, gratum sensum parientem exerit. — Corpus sit ad collum usque aquae immersum, excipe tamen casus, quibus superficies aquae scrobiculum solum cordis attingat necesse est, partes vero superiores, saepius undis aquae ablutae, involutae servantur, uti: thorace debiliter conformato, asthmatis subiecto, aliisque morbis laborante. Elapsis post ingressum aliquot minutis, lavetur et fricetur universa superficies corporis, praesertim si morbus aliquis topicus desideret, panno laneo vel setis subtilioribus. Si debilitas, virium langvor, morbus, quietem non poposcerint, instituantur, lenis tamen corporis motus, imprimis tum, dum resorptio aquae, vel excretio materiae cuiusdam morbosae sollicitanda erunt. Sensu debilitatis inopinate ingruente, capiatur remedium vires grate reficiens; — absint occupatio continua et profunda mentis meditatio, abstinatur ab esu et potu. Si tamen sitis nimium urgeret, haec haustu aquae vel potu theato falli potest. Nec somno indulgendum, verum grata et amoena sociali vociferatione, distractionibus variis, musica, lecturis pergratis, animus continuo recreetur et hilaris conservetur.

Temperatura balnei, quae optime per sensum proprium aegri balneantis determinatur, eodem continuo servetur tenore. Communiter haec calorem corporis humani nativum raro duntaxat transgrediatur, gradum igitur 29. Reaum. seu 96. Fahr. teneat. Quas nimium caloris augmentum post se trahit, sequelae, balneum intensioris temperaturae cautissime adhiberi

jubent, — ne subito balneum ingressus, vertigine, animi deliquio, apoplexia affligatur. m)

Mora in balneo extrahenda, diversae pro diverso temperaturae gradu, corporis constitutione, quem medicus molitur effectu, esse solet durationis. Ubi enim medicus levem solummodo systemati nervoso stimulum adplicare contendit, brevis admodum; e contra, ubi partium strictarum et rigidarum emolliitionem, humorum resorptionem aut materiei morbosae e penetralibus organismi eliminationem procurare nititur, longe majoris durationis sit, oportet. Prima balnea sint breviora, successive tempore gradatim semper augenda, et tandem simili ratione recedendo, minuenda. Initio sit 10-15 minutorum duratio, serius horae dimidiae, et tandem eo usque protrahantur, quousque bene feruntur, atque aegrorum statui conveniunt. Germani non ultra horae spatium balneant, in balneis vero mineralibus Helvetiae (Leuk, Baden) homines 4-5 horas in balneo consumunt, nec raro bis omni die.

Si balneum intensioris temperaturae fuit, vel mora in balneo justo diutius protracta, ceu sequela localis stimuli, erumpunt in cuti exanthemata, miliaria mentientia. Copiosus balneorum usus partes justo magis relaxat, ita ut tonum amittant, ipsa cutis majori in gradu emollita, sensilior evadit, potentiis nocentibus externis minori vi resistens, quibusvis stimulis facile lacescenda.

Post emensam in balneo moram sollicite corpus siccet, vel vesti lanæ involutus totus quantus, lectum petat aeger, ne transspiratio cutis, per mediam horam fovenda, turbetur, et corpori aestuanti multum

m) Fourcroy narrat exemplum personae, post horam in balneo nimis calido apoplectice extinctae.

caloris subtrahatur, sicque origo morborum, e refrigerio incaute admisso praepediatur.

Peculiarem attentionem meretur periodus menstruorum in sexu sequiori, durante qua balneum penitus interdicitur, potus vero aquae arctioribus circumscribatnr limitibus; — excipiuntur tamen, qui in anomaliis hujus fluxus, radicantur casus.

Pro rerum adjunctis balneum omni die unum, vel alternatim, diebus interjectis liberis, omni tertia die, rarissime quotidie balnea plura sumuntur. Completa cura per balneum comprehendit balnea 24-28-30: — major numerus, vel repetitio curae casus peculiare supponunt, soli medico reservatos.

E) Regimen diaeteticum.

Ut qui desiderantur aquarum sulfurearum, sive in ventriculum deferantur, sive in balneum adhibeantur, effectus in salutem aegrotantium et perniciem morborum eo certius sequantur, minime solus sufficit aquarum usus: verum huic, quod medicus stricte praecipendum habet, regimen diaeteticum omnimode congruum jungatur, ab aegris ad amussim observandum. Cum vero hoc non parum per quemlibet singularem casum modificetur, patet, solum medicum cuilibet individuo conveniens praescribere posse regimen. Fas mihi sit generales duntaxat commemorare regulas.

Complectitur autem regimen diaeteticum sequentia: cibos, potulenta, statum animi, corporis motum, distractiones, somnum et aëris atmosphaerici conditionem. Quare pauca de singulis seorsim dicenda.

In delectu ciborum quantitatis aequae ac qualitatis habeatur ratio. Major, quae ingeritur ciborum copia, aegris curae subjectis non nocere non potest. Ideo moderatus ad prandium iustituatur usus et sele-

ctus ciborum, quorum digestio prima facili negotio perficitur, et quorum usus nec debilitatem et languorem ventriculi et tubi intestinalis relinquit, nec dolores, tormina ciet, nec majorem systematis sanguiferi exagitationem inducit, nec auctam mucii aut acidi copiam generat, nec alvi excretionem nimis pigram vel nimis frequentem reddit, nec majorem aëris et flatuum exclusionem producit; — prostrata enim digestionem, quae non facile restituitur, ventriculus minorem opponet renisum, in adsimilandis, quae noxium hoc in casu exerent effectum, aquis sulfureis. — Enumerationem ciborum vetant arcti libelli limites, — quorum selectus ceteroquin medici experti innitur consilio.

Potulenta et parca manu, et bonae solum indolis, si quae praeter aquam medicatam bibuntur, administrentur. Optime ad prandium aqua salubris, parca vini quantitate remixta, conducit. Vina austera, nimis fortia, spiritus, cerevisia, aquae soteriae generatim vitentur. cum functionem ventriculi prosternant. Pro jentaculo deserviat ius avenae, vini, cerevisiae, omnium optime colleea vel chocolada cum pane biscocto.

Status animi maximam meretur attentionem, cum non exiguum in recuperandam sanitatem habeat influxum. Ante omnia adfectus animi deprimentes, curae, ira, tristitia, moeror, odium, zelotypia, amor infelix, timor et terror profligentur, oportet: inducunt enim circuitus languorem, debilitatem systematis nervosi, turbas digestionis et cunctarum corporis functionum, humorum indolem depravando, et solidis laxitatem conciliando. Quos et quantos animi adfectus grati exerunt effectus salutare, uti adquiescentia, laetitia, voluptas, spes, gaudium, amor ex opposita priorum contemplatione patet. Degenerant

attamen in potentias nocentes, quamprimum altioreni attingunt gradum. — Intensioretiam facultatum mentis adstrictio sedulo fugienda, occupationibus gratis, animum distrahentibus interpositis, ne vim vitalem exhauriendo, debilitatem actionis vitalis, multorum malorum fontem uberem relinquat.

Optime his consulitur vita sociali, solitudinis fuga, motu in aëre libero, tempore pluvioso librorum utilium lectione, cauto lusuum et distractionum selectu, qui tamen nec mentis maiorem adstrictionem exposcant nec animum ingrâte afficiant, uti lusus foliorum aleae (Hazard) n) li quoque, qui profundam involvunt meditationem, uti lusus latruncolorum (Shach) commendari non possunt, ipsa enim, quam requirunt, sessio diuturna, langvorem digestionis inducit, et motum necessarium aufert. Praestant igitur: musica, exercitia corporis quaedam, uti jaculatio ad metam, lusus conorum, pilae, biliard etc.

Corporis motus, tempore diei libero frequens instituat, multum enim ad digestionis, se- et excretionum aequabilem vigorem servandum contribuit. — Caveatur tamen, ne nimius, exaestuans, virium lassitudinem inducens, noxius evadat, inprimis ante tempus potionis aquae vel balnei. Horis postmeridianis major quoque, ast non immediate post pastum, commotio concedi potest. Quibus motus activus sufficiens possibilis non est, fiat passivus, uti vectio in curru, equitatio, saltatio summa cum circumspectione instituenda, pro adjunctis modificandus.

Aër atmosphaericus, non exiguam in organismum exerens efficaciam, quantum fieri potest

n) Dr. Freuer narrat, lusorem quendam, quotiescunque balneum subintraverat, animi deliquio, spasms correptum fuisse.

diligenter petendus est, omnem enim organorum functionem impellit, virium robur et firmitatem corpori conciliat. Hic tamen ipse, e quo vitam hauriunt mortales, et perniciosi causa evadere potest, qui tractu aëris, ventu, procella, temperatura nocente, exhalationibus morbificis, eam, quam alere destinatus est, vitam pessumdat.

Vestitus vicissitudini tempestatis, anni temporis et diei, corporis motui congruus esto. Non moris, sed necessitatis et commoditatis ratio consulatur. — **Sexus** sequior hoc respectu frequentius virili peccat.

Somnus denique vires animi et corporis sole lucente exhaustas, nocte captus mirum in modum restaurat. Vesperi nil comedatur, lectus sat mature, in cubili interdiu ventillato, fenestris clausis petatur, ne jactura somni necessarii id corpori subducat, quod aquarum sulfurearum usus addidit boni. Assvetis solum, noctu parum dormientibus, somnus postmeridie omnino concedendus. — **Aurora** coelum aperiente, lectus mox deserendus est.

§ 12.

L i t e r a t u r a.

Hippocrates.

Plinius. Hist. nat. lib. XXXI. cap. 2.

Aetius Tetrabibl. Lib. III. cap. 46. 47. 48.

Aristoteles περὶ αἰσθησεως καὶ αἰσθητῶν cap. 4.
ed. Casaubon.

Anemorini de thermis 1511.

B. N. Clivolo de balneorum naturalium viribus.
Lugd. 1551 — 1552.

De balneis omnia, quae exstant apud Graecos, Latinos, Arabes, tam medicos, quam alios scriptores 1553.

F. Schroeter r. **M. Neander** de thermis 1538.

- L. Fuchsii** historia omnium aquarum, quae in usu practificantium sunt. Venet. 1542. — 44.
- J. D. Tabernaemontanus**, neuer Wasserschatz d. i. von allen metallischen, mineralischen Bädern und Wässern. Frankf. 1544. — 1584. — 1587. — 1593. — 1603. — 1608.
- Th. Paracelsi** Badebüchlein, sechs köstl. Tractate von Wasserbädern, publicirt von Ad. von Bodenstein Mühlh. 1562.
- J. Guintheri Andernaci**. Comment. de balneis et aquis medicatis. Arg. 1565.
- Hugonis a Frigida Valle** syntagm. method. de balneis et eorum usu. 1565.
- M. Rulandi** Hydriatria aquarum medicar. Dillingae 1568.
- H. Fallopi** de medicatis aquis et fossilibus 1569 — 1668.
- G. Eschenreuter** Natur aller heilsamen Bäder u. Brunnen. Strassb. 1571 — 1609 — 1616 — 1699.
- Andr. Baccius** de thermis 1571.
- L. Thurneiser's** zehn Bücher von kalten, warmen, mineralischen, metallischen Wässern. Frankf. a. d. O. 1572. — 1612.
- Theophrast** von warmen Bädern. Basel. 1570. — 1576.
- J. Theodorus** von metall. u. mineral. Bädern u. Wässern. 1584. — 1593.
- J. Bacchini** Methodus de aquis medicatis. Montisbelligardi 1588 — 1600 — 1605 — 1607 — 1612 — 1698.
- Pamphili Herilacii** de aquar. natura et facultate. Colon. 1591.
- Jac. Mockii**, de causis concretionis et dissolutionis rerum quarundam, s. de aquarum effectibus. Friburgi 1596.

- A. Libavius tract. de judicio aquarum mineralium.
Fref. 1606.
- G. Horst de natura thermarum Gress. 1618 — 27.
- P. J. Fabri Hydrogrophium spagyricum. Tolosae
1629 — 1639.
- C. Ziegra de aquis salubribus. Vind. 1659.
- J. Claudini paradoxa medica s. de natura et usu
thermarum. Fref. 1660.
- Tr. Serries Hydatologia, veram causam diversarum
aquae facultatum, per explicationem principii rerum omnium demonstrans. 1668.
- C. Lange de thermis variis. Lips. 1683 — 1684.
- R. Boyle Hist. nat. aquar. mineralium Lond. 1686.
- G. W. Wedel r. G. Held de thermis. Jenae 1695.
- C. Leigh exercitationes de aquis mineralibus, thermis
calidis. Oxon. 1697.
- J. J. Vicarii Hydrophylacium novum. Ulmae 1699.
- Thompson de aquarum miner. origine 1705.
- Schoders Anmerkungen von Gesundbrunnen 1709.
- J. V. Jägerschmidt's miner. Wassernymphe.
Augsb. 1710 — 1712 — 1722.
- Fr. Hoffmann de aqua medicina universali. Halae
1712 — 1718 — 1719 — 1726.
- G. Ern. Stahl de fontium salutarium usu et abusu.
Halae. 1712 — 1716 — 1722 — 1726 — 1734.
- R. I. Camerarius de aquis medicatis Tubing. 1716.
- F. E. Brückmann prodromus bibliothecae hydrographicae. Hamburg 1735.
- Oelsner physiologische, chemische u. medicinische
Untersuchung, der mineralischen Wässer. Breslau 1753.
- C. Wildvogel lib. de balneis et balneatoribus. 1754.
- Car. de Roy de aquarum mineralium natura et usu
propos. Monspel. 1755. 1758. 1762.
- J. A. Cartheuser rudimenta Hydrologiae Fref. 1758.

- Don. Monro** treatise on Mineral-Waters. London 1770.
- Manuel** sur les propriétés de l'eau principalement dans l'art de guérir, par **Macquart** Paris 1783.
- G. Meade** de aquis mineralibus. Edinb. 1790.
- K. A. Zwierlein** allgemeine Brunnenschrift für Brunnenfreunde n. Aerzte, nebst Beschreibung der berühmtesten Bäder u. Gesundbrunnen. Leipzig 1793. 1815.
- Fuchs** systematische Beschreibung aller Gesundbrunnen u. Bäder der bekannteren Länder, vorzüglich Deutschlands. Jena u. Leipzig. Zwey Bände. 1797. 1801.
- I. Ch. W. Remlers**, Tabellen über den Gehalt der in neuesten Zeiten untersuchten Mineralquellen. Erfurth. 1799.
- C. W. Hufeland** prakt. Uibersicht der vorzüglichsten Heilquellen Deutschlands, nach eigenen Erfahrungen Berlin 1815. 1820.
- C. A. Hoffmann** system. Uibers. u. Darstellung der Resultate von 242 chemischen Untersuchungen mineralischer Wasser. Berlin 1815.
- J. Ul. Gottl. Schäffer** Beitr. zu einer künftigen wissenschaftlichen Ansicht der Wirkungen mineralischer Wässer 1824.
- Chr. H. E. Bischoff** pharmacolog. Bezeichn. der Mineralwässer in Hufeland u. Osann Journ. d. pr. H. Bd. LVIII. St. 5. u. 6.
- F. A. von Ammon** Brunnendiätetik. Leipz. 1826-28.
- E. Wetzler** über Gesundbrunnen u. Bäder. T. I. II. III. Mainz. 1819. 1825.
- Jos. Wächter** Abhandlung über den Gebrauch der vorzüglichsten Bäder u. Trinkwässer. Wien. 1817.
- — System. praktische Uibersicht der

vorzüglichsten Heilquellen Deutschlands u. seiner nächsten Angränzungen. Wien 1818.

D a n g e l m a i e r s Bäder u. Gesundbrunnen. Württemberg. 1822.

J. A. A. S t r u v e über Nachbildung der natürlichen Heilquellen 1824. 1826.

F. S p e y e r, Ideen über die Natur u. Anwendungsart natürlicher u. künstlicher Bäder. Jena 1825.

G. R ü s c h Anleitung zu dem richtigen Gebrauche der Bäder u. Trinkkuren. 2 Bände. 1825. 1826.

E. O s a n n physicalisch-medizinische Darstellung der bekannten Heilquellen der vorzüglichsten Länder Europa's. Berlin. 2 Th. 1829.

C. S t u c k e Abhandlung von den Mineralquellen im allgemeinen. Cöln. 1831.

Gottl. R ü s c h vollständiges Handbuch über Bade- u. Trinkkuren überhaupt. 2. Bde. Bern und Chur. 1832.

S e c t i o 3^{ia}.

De aquis mineralibus sulfureis Hungariae.

Ex opulenti ac benefico patriae nostrae praecarae sinu, copiosae in salutem ac solamen, atrocem morborum vim experientis gentis humanae, prosiliunt antiquissimis jam temporibus celeberrimae, efficacissimae, nec ullis postponendae, quarum fama universum percrebuit orbem, aquarum sulfurearum scaturigines. Quantus non congregatur quotannis hospitum numerus, non solum ex diversis Hungariae regionibus, verum ex remotissimis quoque oris extraneis, qui auxilium et medelam inventes, sanitate sua roboreque pristino recuperatis, sibi — suis — officio

et ci v i t a t i restituti, grato de pectore nostris valedicunt thermis. Harum igitur, praemittendo succinctam praecipuarum et efficacissimarum nonnullarum descriptionem, omnium ad nostra usque tempora cognitarum, adgredior enumerationem.

§. 13.

Thermae Herculeae

vulgo

M e h a d i e n s e s.

Thermae herculeae in angulo Hungariae meridionali, parte ad orientem vergente, sitae, limitibus Valachiae turcicae proximae, e sinu territorii legionis Vallachico - Illyricae, per tot jam saecula celebres scaturiunt. A Mehadia uno milliari, quatuor ab Orsova, et viginti Temesvarino distant milliariibus.

E copiosissimis Romanorum in antiquam Daciam coloniis et, quae in vicinia thermarum herculeanarum reperiuntur innumeris inscriptionibus, tabulis votivibus, monetis a Trajano, Hadriano et Antoninis, usque ad M. A. Philippum; prout e septem Herculis statuis, jure concludere licet, antiquissimis jam temporibus exstitisse, et harum aquarum innotuisse usum. Longum tamen intercurrit temporis spatium, quo penitus neglectae fuere. Comes Hamilton omnium primus, sub initium saeculi praeteriti, summa dignas esse attentione, eximio demonstravit exemplo; omnia enim, quorum temporis vetustas induxit pessumditionem, renovare, novaque in specie Ludovici — Francisci — et Herculis — erigi curavit balnea. Durante bello Turcico, proh dolor! haec quoque tristia experta sunt fata; eo tamen non obstante

ab anno 1792. non solum renovatione destructorum, sed et erectione novorum gloriantur institutorum, et copiosissimis, commodissimis hospitem superbiunt habitaculis, cum totius loci et regionis vicinae condecoratione. Ingens omni anno hospitem comparet multitudo: sic anno 1811. numerabantur 944, — anno vero 1830. 1431, — omnium autem ab 1811 ad 1830 annum hospitem numerus, 19,243 efficit.

Paschalis Caryophilus (Pascal Garofolo) primam harum per comitem Hamilton renovatarum, et quasi neodectarum thermarum, exhibuit monographiam; palman tamen omnibus recentissimis temporibus eripuit Schwarzotti, in qua et prolixior earum legitur historia.

Jacent thermæ in amoenissima valle, ditionis, ut dictum, Vallachico-Illyricæ, inter 39, 10 et 41 longitudinis orientalis, atque 44, 28 inter et 46, 56 gradum latitudinis borealis °), — quæ tertiam magnæ vallis Cserna dictæ a montibus limitaneis Valachiae (ramis montium Carpathicorum Bannatus) efformatæ efficit partem, ad cis et trans fluvii Csernae ripam. Longitudo huius vallis unius et dimidiæ horæ aequat distantiam, latitudo vero maxima 300—400 numerat passus. Vallis hæc a montibus in sinistra Csernae ripa prope ad perpendicularum horrentibus initio ampliatur, at mox iterum angustatur adeo, ut juxta Csernam vix pro semita spatium sit. Utraque ripa medio duorum conjungitur pontium, quorum alter firmus e lapidibus constructus 112 — 115 passus longus, et 8 latus, ducit ad ipsum thermarum locum, alter vero firmus, ligneus, columnæ saxosæ magnæ ex amne prominenti innixus, prope vicum Petseneska conspici-

o) F. von Hietzinger. I. Th. S. 118 die Anmerkung.

tur, medio cujus in dextra Csernae ripa, scaturigium attingitur theatrum.

Quamquam vallem Csernae ejusque continuationem, utpote thermarum sedem, alti undiquaque circumdant montes: nihilominus tamen lenitate, caliditate atque puritate insigni, gaudent aëre atmosphaerico, qui sibi junctum, e scaturiginibus liberatum, multis eo ipso aegris, quin usus thermarum in subsidium vocetur, salutare, tenet gas hydrogenium sulfuratum. Solum exundatione aggestum sabulosum, fertile tamen, tegitur pratis agrisque. — Mite igitur et salubre hujus regionis clima est, vitis enim mense jam Augusto praestantes largitur uvas. Calor tamen aestatis, ob reflexionem radiorum solarium a saxis calcareis, horis meridianis 26 — 29° Reaum. attingit in umbra, e contra minime frigent noctes. Autumnum non raucum, excipit hyems brevis et moderata, summi frigoris intensitas, per spatium 2 vel 3 dierum, vix 11. R. superat gradum. Veris initium mense jam Martio indicant prata flore virescentia, cantusque phylomelae, cuius tempestas amoena multos allicit horsum.

Montes ad dextram Csernae ripam septemtrionem respicientes, constant: granite, calcario schistoso et argilla marga cum pyrite copioso, porro calcario granuloso marga, calcario transitionis griseo, et arenario griseo, — ad sinistram vero ripam componuntur: porphyro viridi cum feldspatho, crystallis quarzi, calcario spathoso et petrosilice corneo, inferiora magis, calcario marga lamelloso, et ad utramque fluvii ripam usque oppidum Petseneska argilla schistosa cum partialiter inserto siliceo.

Praecipitata et sedimenta, quae in montium hiatus, e quibus prosiliunt scaturigines, et, quorum ope derivantur, canalibus subterraneis, tandem in receptaculorum aquae tegmentis reperiuntur, sunt:

1) Crystalli sulfuris, formae pyramidis tetraëdrae duplicatae.

2) Flores sulfuris fasciculatim aggregati.

3) Sulfas et murias calcis.

4) Praecipitatum nigrum ferro ochraceo penetratum, sulfati calcis et sulfuri basim largiens.

Montes decliviores, prouti saxorum declivitates inferiores teguntur silvis, aluntque copiosa, aliis etiam in regionibus obvia, imo et rariora vegetabilia, quae extra montosam Bannatus partem, in aliis Hungariae plagis frustra quaesieris.

Locus ipse thermarum, 300 passus longus, 40-50 latus, omnibus pro hospitem voto atque distractione abundanter provisus est. Secundum cursum fluvii in dextra ejusdem ripa decurrit via, cuius ortum respicientes domus, undis fluvii rigantur, eae vero occasum versus, montibus frondosis adproximantur. In meditullio hujus loci fons saliens optimam, saluberrimam pro potu largitur aquam, quae retro ecclesiam gr. n. u. ad radicem montis in receptaculum scatet, illincque canalibus per ipsum pontem muratum ductis derivatur. Inferiora versus ab eodem attingitur balneum, nomini S. M. Reginae anno 1818 dicatum, Carolinen - Bad (antea das kühle Gliederbad) uno communi et duobus separatis instructum balneis. Vicinum aedificium das Neugebäude anno 1824 terminatum, dicitur, duarum contabulationum cum 71. hospitem, et 2. oeco (Saal) similibus cubilibus, pro conventiculis et comessionibus destinatis; praeterea in centro primi tractus, sacellum pro Sacris R. Cath. administrandis, tenet. Cum priori conjungitur Tractus cameralis, 42. domiciliis, et cancellaria balneorum provisus; huic Tractus militaris proximus, a Capitaneo descendendo aegrotantes suscipit officiales. Tres domus haec, medio porticus inter

se communicant, hinc per similem ambitum ad vicinum balneum *Scindularum* (*Schindelbad*) nunc *Ludovici* in honorem huic principi denominatum, itur; Unum commune magnum, unum officialium et 12. separata numerat balnea; propria providentur scaturigine, cujus aquae in receptaculo collectae calor 37-o R. aequat, magnum quoque tenet apparatus refrigerantem, svasu *D. Martini* anno 1824 erectum, a quo tempore multo majoris sunt efficaciae. — E regione huius in foro thermarum stant *Barakae* militares, 7 cubilibus provisae, pro militibus ordinis infimi destinatis.

Proximum, unius tractus eleganter structum aedificium, est diversorium, cujus frontispicium quatuor columnis innixa superbit altana, pars inferior a sinistris thermopolium (*Kaffeehaus*) a dextris tabernam mercatoriam, cum duobus epocillis tenet; pars superior oecum pro choreis et comessionibus offert, cum duobus separatis cubilibus, et praeterea habitaculum arendatoris. Hinc devenitur ad domum provisoris balnei, quae ima sua parte *Pharmacopolium* civile ab anno 1826. continet, tractum superiorem a dextris *Provisor* thermarum, a sinistris *Doctor* medicinae, et in posteriori parte *parochus mehadiensis* sacra hic peragens, inhabitant. Non procul ab hac domo contubernium militare, pro securitate publica anno 1825 erectum, existit.

Omnia haec aedificia, thermarum facium versus spectant, quae nunc recensebuntur, adversam amnis ripam occupant, pone bene stratam 700. longam et 8 — 10 passus latam viam, cui omnium primum balneum *Caroli* (*Karlsbad*, auch *Fussbad*, antea *Geschwulstbad*) vocatum, adjacet; duabus pro diversitate sexus ligneis constat domunculis, quae inter scaturigo pro potu ebullit, aquam medio canalium ligneorum iisdem mutuans. Centum ab hinc passus,

pone ruinas aquaeductus Romanorum, distat balneum **Herculis**, in fine territorii situm, antiquitus ob viciniam antri latronum, (das Räuberbad) nuncupabatur, communi et uno separato constat balneo, cuius tractus superior, comodum pluribus largitur domicilium; in parte hujus postica ambitus, in profundum saxi ad originem scaturiginis usque ducit, ubi sat magnum antrum das Schwitzloch, 12 incirca individua recipere valet. — A dextris vigiliarum et pauperum prostant domus.

A contubernio militari descendendo in eadem ripa 100 pas. remotum, conspiciuntur: balneum **Caesareum** das Kaiserbad (olim das heisse Gliederbad) uno communi, tribus separatis balneis, et apparatu refrigeratorio instructum, et balneum **Ferdinandi**, das Ferdinands- oder Douche- vormalis Kalk-Bad. Ambo haec balnea conjuncta, duro calcario et schistoso insistentes saxo, propriis providentur scaturiginibus, quarum apprime clausis receptaculis asservatur aqua.

In distantia unius quadrantis horae in fundo saxeo e schisto margaceo constante jacet balneum **Oculorum**, das Augenbad, cujus aquae defluxus in fluvium stillat; pone hoc alia e ligno constructa domus excipit miseros, oculis laborantes, hic quoque canali hians aqua potu hauritur.

Trans fluvium in sinistra igitur **Csernae** ripa, locatum est balneum **Francisci**, duos unius □ orgyae continet alveos, in quorum fundo immediate scaturigines prosiliunt, quare omnium efficacissimum. Quidquam altius domunculam ligneam zum Bründel dictam abscondunt arborum frondes, a qua 100 circiter passus distans ecclesia gr. n. u. conspicitur, quam retro corylis cincta **Baraka** arendatoris, 20 parva cubicula, hominibus conditionis inferioris offert; plures

adhuc sunt aedificatae domus, quas nonnulli hic loci degentes incolunt opifices.

Tandem immediate sinistrae ripae adjacet, in honorem Serenissimi Principis et Archiducis Austriae, ac Palatini R. Hungariae balneum Josephi denominatum, das Josephsbad olim Fieberbad, propria scaturigine provisum, cuius tamen gradus caloris, ob debilem aquae adfluxum imminuitur ad 25° R. usque.

Haec itaque essent, quae pro salute et commoditate hospitem erecta sunt balnea atque habitacula; nunc, quibus animus eorum recreatur, a curis liberatur atque distrahitur, quaedam commemoranda restant.

Situs thermarum naturae providae donum, adeo amoenum oculo largitur spectaculum, ut is jam auro-ra rubente, et adhuc hespero lucente, quotidie delectetur, non desiderantur pulcherrima, copiosissima deambulacra, in vicinas et paulo remotiores regiones, quarum uberior descriptio legitur in opere Schwarzotti pag. 140 — 180. Navigatio in Danubio hic loci majestatico, piscatio et venatio omnis generis, multorum sunt deliciae. Productiones dramaticae, gymnasticae et musicales, in oeco magno, ingentem congregant numerum, in quo et choreae quavis die domini locum habere solent. Hespero lucem spargente concentus musicae legionis Valachico-Illyricae, cunctos noviter in gratum vitae socialis convocat circulum. Eorum quoque, quorum legendo magis recreatur animus, prospectum est desiderio; cassino enim in aedificio novo lectorium, omnis generis novalibus, libris belletristicis, musicalibus atque instrumento pianoforte provisum, tenet, quod multis oblectamentum non vile parit.

Pro salute et securitate publica hospitem vigilat Commissio anno 1816. ordinata, Officiali stabali vel Capitaneo praeside, Medico, atque Provisore constans; ut eo melius securitas, ordo munditiesque

conservari possint, intimata huius Commissionis, plurimis locis acclavata, hospitibus patent. Haec legi possunt in op. Schwarzotti pag. 190 — 195.

In extensione 660. orgyarum aut 1650 passuum, ab Herculis usque Francisci balneum 22. numerantur scaturigines aquarum, quae tamen non omnes in usum vocantur; harum tres in sinistra, reliquae in dextra Csernae ripa, aut in ipso fluvii alveo, e cinereo-griseo calcario denso, aut e nigro-griseo schisto, margaceo scaturiunt. In enumeratione balneorum eum, quo se excipiunt, ordinem sequar, incipiendo a supremo ad infimum descendendo, ac tandem fluvium transgrediendo. Sunt autem sequentia:

1. B. Herculis. Das Herkules-Bad.

Aqua huius e cinereo-griseo saxo calcario scaturiens est limpida, excolor, omnis odoris hepatici expers, et debilis amaro-salsi saporis; gradus caloris 18 inter et 39° R. fluctuat, (pro diverso anni tempore, adfluxu aquae nivalis et pluvialis) — Gravitatis specificae 1006. aëre atmosphaerico 14° R. tenente, quantitas aquae intra horam affluentis secundum Zimmermann efficit 5045 pedes cubicos.

2. B. Caroli. Das Carls-Bad.

Scaturigo eius in distantia 6. orgyarum a ripa orditur, balnea Ludovici inter et Herculis e continuatione saxi praecedentis. Aqua limpida, pellucida, ab accessu aëris turbatur, debilis odoris sulfurei, et mitis amaro-salsi saporis, temperaturae 34° R. gr. sp. 1004. — copia intra horam 23 ped. cub. efficit, omnium debilissima est, medium inter Ludovici et Herculis tenet aquas, quare optime interno conveniret usui.

3. B. Ludovici. Das Ludwigs-Bad.

Proxime ad ripam e bifariam partita vena, pel-lucens clara prosilit aqua, aëre accedente lactescens, sedimentum coloris albi deponens, in superficie iri-diformem contrahens cuticulam, debilem hepaticum eructans odorem, amaro-salso nauseoso sapore feri-ens gustatum, temperaturae 37° R. gr. sp. secundum Zimmermann 1005. secundum Schwarzott 1007. Ad-fluxus aquae intra horam 960. efficit ped. cub.

4. B. Carolinae. Das Carolinen-Bad.

Duabus providetur scaturiginibus, quarum altera e saxo calcario hians, in receptaculum capitur, altera e contra canali ligneo derivatur e balneo Cae-sareo. Harum aqua excolor, pellucida, fortem nec post aliquot dies evanescentem, sulfur redolentem spargit odorem, debilem et mitem salso-amaricantem ciens saporem, calet ad 22° R. gr. sp. 1005. quanti-tas aquae adfluentis 180 ped. cub intra horam efficit Prof. Zimmermann reperit calorem constantem 33° R. et adfluxum 115 $\frac{1}{2}$ ped. cub. effecisse. p)

5. B. Caesareum (Das Kaiser-Bad).

Propria huius scaturigo e saxo calcario et schi-stoso erumpens, priori quoque suppeditat aquam. Non procul ab hac, tres adhuc aliae summae calidae (qua-rum una 51° R. tenet) prosiliunt scaturigines, quae tamen omnes et inter se, et cum hac communicare videntur. Aqua scaturiens clara, excolor, in majori tamen copia viridescens, diutius servata flavo-album deponens sedimentum, fortis, per plures dies constan-

p) Procul dubio accessus aquae frigidae ab hoc tempore subsecutus est.

tis odoris sulfurei, nauseosissimi amari, nimium salsi saporis est, temperaturae 44° R. gr. sp. 1012. (secundum Zimmermann 43° R. et 1008.) — adfluxus aquae unius horae (reliquarum libere defluentium) 89. ped. cub. efficit.

6. B. Ferdinandi (Das Ferdinands-Bad).

Olim qua balneum calcarium notum, ex antro praecedenti balneo e regione opposito obtinuit aquam, super stratum calcarii grisei defluentem, lacteo-albescentem, aquae calcis analogam, unde nomen balnei; huius vena continuo lentius fluens anno 1821 die 12. Maji penitus evanuit, ob praecipitata massae, calcario stalactifico, lapidibus aliis et humo constante, molem ingentem, qua de re aliae hactenus neglectae scaturigines, majorem aquae copiam fundere ceperunt, quae in receptaculo collecta ambobus balneis sufficientem subministrat quantitatem; dum canalus alter perforato clauditur operculo, embrocatio das Douche-Bad locum habet. Qualitates physicae priori simillimae, excepto caloris gradu, 43° R. et gr. sp. 1009. Copia adfluentis aquae 90. ped. cub. intra spatium unius horae efficit.

In huius vicinia videre est foramen sudatorium das Schwitzloch, in cuius fundo tres sulfureae, temperaturae 43° — 33° — et 32° R. scaturiunt venae; ipsius vero antri modo neglecti calor 22° R. est. aëre 17° R. tenente. Inferiora magis balneum Caesareum inter et Oculorum exigua prorumpit scaturigo Nicolai dicta, cuius tamen usus nunc obsoletus est.

7. Oculorum (Das Augendunst-Bad).

Hic quatuor e schisto margaceo cinereo-nigrostratis calcareis intermixto prodeunt venae, quarum secunda in receptaculum capta dicitur der Augenbrun-

nen. Sapor, odor et caeterae proprietates conveniunt iisdem B. Caesarei, temperatura 42° R. gaudet; adfluxus aquae intra horam 40. ped. cub. efficit.

8. B. Francisci (Das Francisci-Bad).

Praeter indicatum nomen, aliud etiam balneo adtributum est, a vana opinione natum: dicitur nimirum vulgo *Franzosen-Bad*, quod in morbis venereis potissimum et maxime prodesse creditur. Nonnulli putant Mercurium quoque in aqua contineri, quod non tantum e memorato effectu concludi posse, sed etiam ex inscriptione ibidem reperti, male servati lapidis confirmari existimant, utpote in quo etiam nunc nomen Mercurius diserte legitur. q)

Balneum hoc in sinistra Csernae ripa situm, scaturigini suae insistit, in distantia circiter 14. org. altera modo neglecta scatet vena. Utriusque hujus scaturiginis geognostica investigatio, manifeste demonstrat, ut Pr. Zimmermann asserit, eas prioris, sub alveo annis procedentis venae continuationes esse, cum schistus margaceus calcario spathoso mixtus,

q) P. Kitaibel *Hydrographica Hungariae* Vol. II. pag. 324.

Inscriptio haec secundum Griseolini 1,274. sequens erat.

H E R C V L I
E T V E N E R I
M E R C V R I V S
P R A E F E C T V S
C V M S V I S.

Nunc jam vero sequentes nonnisi literae distinguuntur :

— — R C V L I
E T — — — —
M E R C V R I V S
P R — — —
C U M S V — S

Vocabulum Veneri, penitus abrasum est.

lectum Csernae formet. Aqua huius recenter hausta clara, pellucida, coloris virescentis, fortem eructat odorem sulfur redolentem, et amoro-salse sapit, temperaturae 32° R. gr. sp. 1010 eius copia intra horam adfluens 93. ped. cub. efficit.

9. B. Josephi (Das Josephs - Bad).

In distantia 8. org. a ponte lapideo in sinistra Csernae ripa, e saxo calcario prorumpit cum paucis bullis aëreis minime dives scaturigo, quam pro continua balnei Caesarei Zimmermann declarat, qua de re huic in omnibus analoga est, calet ad 39° R. eius adfluxus 5. ped. cub. intra horam efficit.

Praeter has enumeratas thermarum Herculeanarum scaturigines, multae adhuc in eodem, quo reliquae prorumpunt, ambitu, reperiuntur, quarum tamen hodiernis diebus vix instituitur usus.

Qualitates physicae omnium aquarum Herculeanarum sequentes sunt:

1. Omnes limpidae, pellucidae et excolores sunt, excepta B. Ferdinandi aqua, quae continuo albo-turbida, lactis vel aquae calcis turbidae adinstar apprehenditur.


2. Omnes plus vel minus odorem sulfureum redolent, demta B. Herculis aqua.

3. Omnes fortiori aut mitiori amaro-salso, quaedam insuper nauseoso gustatum adficiunt sapore.

4. Omnium caloris gradus insignis et constans est, nulla enim infra 30° R. calet, quod diutius in alveis stagnantes, aliquot spolientur gradibus, sponte liquet.

5. Omnes gravitate sua specifica aquam destillatam, pluribus superant vicibus.

Analyses aquarum Herculeanarum plures instituerunt cel. viri, nominatim Caryophilus Paschalis, H. I. Cranz, I. M. Stadler, F. Grisellini. S. A. Schlosser, omnium tamen, ut is sincere proficitur, incompletæ sunt. Analysis P. Kitaibel prima anno 1800, in societate Comitum a Waldstein R. protomedici Pfisterer et physici Temessiensis Fischer; altera anno 1805, aequè in facie loci instituta; tertia tandem anno 1809, per Cons. A. Schlosser et C. A. Böhm transmissarum aquarum, Pesthini suscepta, a Sp. ac cl. Prof. Schuster anno 1829 edita, minus satisfecere votis. Resultata chemicæ investigationis per Cons. ac Prof. a Zimmermann anno 1817. ibidem susceptæ, adduxisse placuit; sequenti Tabella:



Centum pollices cubici aquae continent :

Nomina

Scaturiginum.

P. C. volatilium pollices cubicos

P. C. fixatum grana

Gaz hydro-
genii sulfu-
rati.

Gaz Azoti.

Gas acidi
Carbonici.

Summa
Gasium.

Mariatis
Natri.

Mariatis
Calcariae.

Sulfatis
Calcariae
cum terrae
silic. vest.

Summa
P. C. fixa-
rum.

In si- nistra.	In dextra Csernae ripa.	Herculis	0	1,10	3,68	4,78	39,48	17,10	2,15	58,73
		Caroli	2,52	1,06	1,14	4,72	33,31	14,56	2,06	49,93
		Ludovici	5,15	1,10	1,24	7,40	54,57	22,75	3,04	80,36
		Carolinae	7,48	1,12	1,46	10,06	91,43	41,15	4,57	140,15
		Caesareae	10,10	1,15	2,10	13,35	96,36	50,23	5,05	151,64
		Ferdinandi	5,16	1,08	1,56	7,80	97,21	51,46	5,08	153,75
		Oculorum	8,62	1,12	1,87	11,61	103,10	57,37	5,02	165,49
		Francisci	5,10	1,12	1,33	7,55	78,18	36,09	4,05	118,32
		Josephi	7,08	1,12	1,38	9,58	93,14	48,11	5,—	146,25

Thermas Herculeanas, terreo-salino-sulfureis adnumerari aquis, ex Analyseos resultatis abunde liquet, quamobrem has, quam in generali pertractione explicuimus aquarum sulfurearum efficacia, eadem quoque, et quidem tanto in gradu instructas esse, ut jure et merito primas efficacissimas inter Patriae nostrae thermas sulfureas locum tenere, nemo inficias ibit.

Indicationes aquarum sulfurearum superius stabilitae, enumerataeque, Herculeis quoque apprime conveniunt thermis. Momenta, quibus aquarum sulfurearum stimulante actione praeditarum interdicitur usus, nostris plane non adversantur thermis, solummodo cautam conditionatamque vindicant adplicationem; sic nominatim; febres, adfectiones inflammatoriae summus debilitatis gradus, tumores oedematosi, scirrhusae, scorbuticae et syphiliticae dyscrasiae vitia organica, ulcera varicosa, et topicae adfectiones syphiliticae.

Usus harum thermarum sequentibus instituitur formis:

1) Balnei. Universalia balnea largiuntur Herculis — Ludovici — Carolinae — Caesareum — Ferdinandi — Francisci — et Josephi B.; — Pedi — et maniluvio inservit B. Caroli; — B. Oculorum forma vaporis adhibetur in adfectionibus oculorum.

2) Embrocationis. B. Ferdinandi huic fini, ejusmodi gaudet apparatu, e quo ex altitudine 10. pedum, aqua forti defluit rivo. Insignem in paralytibus, contracturis, arthritide, rheumatalsiis, tumoribus frigidis exerens efficaciam, merito commendari potest.

3) Balnei Gasformis. Haec adplicandi methodus rarissime in censum vocatur, ob vaporis gas hydrogenio sulfurati impraegnati nimium, quem in organa respirationis exerit effectum et, quem tenet

vehementem caloris gradum. Eo tamen non obstante plebs Valachica frequenter foramen sudatorium invisere solet.

4) Potus. Huic scopo deserviunt scaturigines Herculis, — Caroli, — Ludovici — et Oculorum. Prioris lacte remixta aqua, non ingratum subministrat potum, ventriculo jejuno ad 2 — 6 pocula hausta, leniter stimulantem et solventem exerens effectum, largiori quantitate usurpata fortius purgat; — Aqua fontis Caroli intensius solventem et stimulantem; — huic analogam scaturigo Ludovici et Oculorum largiuntur potionem.

Infantes nonnisi balnei et clysmatis adplicationem admittunt. — Morborum genera, in quibus thermae hae salutare suas manifestant vires, porro, quoniam circa usum harum observandae sint, cautela, tandem quid sentiendum sit de regimine diaetetico, respice Lector benevole ea, quae in praecedentibus uberius exposita reperiuntur.

Quid de tempore, quo balneatur, et ordine observando, scienda sunt, paucis exponam. Cuncta balnea replentur aqua recenti, mensibus aestivis hora 4. matutina, et 3. pomeridiana; vacuantur vero 11. meridie, atque 8. vesperi (mensibus ceteris tempore crepusculi.) Id valet praecipue de B. Herculis — Ludovici — Caesareo, — Francisci — et Ferdinandi; B. Josephi ob exiguum aquae adfluxum, intra spatium 24. horarum nonnisi semel vacuatur. Balnea separata, finito usu mox purgantur recentique providentur aqua.

Horae balneationi destinatae, sunt in omnibus eadem (exceptis quibusdam modificationibus in Caroli et Francisci balneis) et quidem a 5 — 11., et postmeridiam a 2 — 6. horam; is autem praefixus observatur ordo, ut a 5 — 7. horam militibus, a 7 — 9. viris et a 9 — 10. sexui sequiori, pateat aditus; a

prandiis vero a 2 — 3. milites, a 3 — 4. mares, et a 4 — 6. mulieres balneant. In balneis separatis cui-libet hospiti assignatur tempus.

Peculiares quandoque durante cura inducuntur effectus. Adnumerantur his:

1) Augmentum dolorum in adfectionibus arthriticis et rheumaticis, imprimis sub diuturno et frequentiori balneorum nimis calidorum usu. Exacerbatio similis faustum sistit symptoma prognosticum.

2) Sensus urens, vel per universam dermatis superficiem diffunditur, vel ad partem, quae aquis mergitur, restringitur.

3) Immorigera alvi evacuatio, vel plane penitus retenta, spatio plurium dierum, observatur in individuís ad diarrhoeam quoque dispositis; aqua tamen thermarum forma clysmatum adhibita, citum praebet remedium.

4) Nimis frequens quandoque alvi fluidioris depositio, huius tamen mali ut plurimum refrigerium gerit culpam.

5) Eritema cutaneum mox initio, alias cura ad finem vergente efflorere, observatum est; nullam tamen peculiarem requirit medendi methodum, nec balneorum interdicat continuationem.

L i t e r a t u r a.

Paschalis Caryophilus dissertatio epistolaris de thermis Herculaneis nuper in Dacia detectis. Viennae 1737.

Paschalis Caryophilus diss. de usu et praestantia thermerum Herculaneis, quae nuper in Dacia detectae sunt, epistolaris altera. Mantuae 1739.

- H. J. [a Cranz analysis thermarum Herculanarum Daciae Trajani, celebriorumque Hungariae. Viennae 1773.**
- J. M. Stadler, Versuche über die uralten römischen Herculesbäder. Wien 1776.**
- H. J. von Cranz, Gesundbrunnen der öster. Monarchie. Wien 1777. S. 193 — 196.**
- T a u d e, Synopsis 1779, pag. 109.**
- Fr. Grisolini, Versuch einer politischen und natürlichen Geschichte des Temesvarer Banats Wien. 1780. 2. Th. S. 107 — 123.**
- Windisch Geographie 2. Th. S. 244. olim Miháld. Presburg 1780.**
- Mayr dispensatorium universale 1798 pa. 399.**
- Demian. Darstellung der öster. Monarchie. Wien 1804 und 1806, in 3 Bdn. S. 63 — 64.**
- Vaterländische Blätter 1808 S. 151 — 152. 1810. S. 393. — 1820. Nro. 9.**
- Sartori's Naturwunder des öst. Kaiserthums 1809. Th. 1. T. 201.**
- Hesperus 1815. N. 60. S. 477 — 478.**
- J. Wächter. Abhandlung über den Gebrauch der vorzüglichsten Bäder und Trinkwässer. Wien 1817. S. 127.**
- F. von Hietzinger's Statistik der Militairgränze des öst. Kaiserthums. Wien 1817. Th. 1. S. 135. Th. II. S. 425 — 436.**
- Die besuchtesten Badeörter und Gesundbrunnen des öst. Kaiserstaates. Brünn 1821. Th. II. S. 278. |**
- J. von Csaplovics topographisch-statistisches Archiv für das Königr. Ungarn. Wien 1821 Th. 1. S. 214.**
- C. v. Szepesházy und C. J. v. Thiele. Merkwürdigkeiten des Königr. Ungarn. Kaschau 1825. Bd. I. S. 172 — 174.**

- Europas wichtigste Heilquellen. 2. Aufl. Berlin 1825.
 Hermann System der praktischen Arzneymittellehre
 Wien 1826. S. 190.
- C. v. Szepesházy und C. I. v. Thiele neuester
 Wegweiser durch das Königreich Ungarn Kaschau
 1827. S. 85 — 89.
- E. v. Hietzinger's Gemählde von Ungarn Pesth
 1829. Th. 1. S. 93 — 95.
- C. Ph. Hartmann pharmacologia dyn. Viennae 1829
 Tom. I. pag 309.
- J. v. Csaplowics Gemählde von Ungarn Pesth 1829
 Th. 1. S. 93 — 95.
- P. Kitaibel Hydrographica Hungariae edidit J.
 Schuster Pestini 1829. Tom. II. pag. 311 — 377.
- v. Jennys Handbuch für Reisende in der Oesterr.
 Monarchie Wien 1829 Th. II. S. 252 — 253.
- Felső-Magyar-Országi Minerva. Második Kötet. 1830.
- A. F. Heckers Arzneymittellehre 1830. Bd. II. S. 840.
- I. G. Schwarzott die Herkules-Bäder bei Mehadia. Wien 1831.
- E. Osann physikalisch-medizinische Darstellung der
 berühmten Heilquellen Berlin 1832. Th. II. S.
 311 — 319.

§. 14.

Thermae Tepliczenses

vulgo

Trenchiniensis.

Teplicz, Těplitz, Těplice, vicus in dominio Trenchin Exc. Dom. C. Stephani Illésházy, Comit. Trenchiniensis, distans a libera regiaque civitate Trenchin una et dimidia, a fluvio Vág una hora, jacet inter

altiora montium juga, in valle amoenissima, ab oriente occasum versus procurrente, in cujus sinu saluberrimae, antiquitus jam notae, e pluribus fontibus scaturiunt thermae in solatium miserorum.

Antiquissimis jam temporibus, thermae hae suam repetunt originem. Verosimillimum videtur esse, Romanos, primos harum exstiterere inventores, ut id facili demonstratione, civitatem Trenchin Romanorum tempore r) sub belliduce Terentio limitem, arcem vero ibidem existentem propugnaculum (Schutzveste) legionum Romanarum, contra feroces Sarmatas et Marcomannos effecisse, evincere licet.

Depulsis e Pannonia Romanis, et immigrantibus diversis nationibus, usque ad florem scientiarum hic quoque germinantem, penitus neglectae sunt thermae hae, quinimo ad annum 1342. usque, nec ullibi fit earum mentio.

Detectio harum, neutiquam ut ceterarum thermarum, apodicticae veritati, verum traditioni innititur, cujus primam Thomas Jordanus a Clausenburg in opere suo, anno 1580. commemorationem facit, quam Kiesswetter s) narrat: pastorem

r) cf. Tyrnavienses eruditi. Celebriorum Hungariae urbium et oppidorum. P. II. Trenchinium antiqua legionum Romanarum statio fuit, aut colonia si unciales litterae Latinae nunc temporis etiam in arce leguntur.

s) pag. 21. et 25. sub titulo: Das hochgräflich Illésházysche nächst Trentschin im Königreiche Ungarn gelegene Töplitzer Bad. Beschrieben von Aloysius Ferd. Kiesswetter, Brünn 1771. Legitur quoque in opere: Die Schwefelquellen zu Töplitz nächst Trentschin von Dr. Aloys Carl, Pressburg 1826. pag. 12. et 13.

quendam gregum e vicino pago Tepla, sanatis pedum ulceribus, harum summi momenti thermarum detectorem fuisse. — Quamquam regnante Mathaeo a Trentsin penitus ignorabantur: id tamen jure statui potest, Comites e stirpe Zápolya, vergente ad finem saeculo XV. primos instituti balneandi fundatores evasisse, ut id Wernherus t) asserit. Filio Stephani Zápolya has anno 1528 regis Ferdinandi I. bellidux Katzian zelotypia ductus ademit u) Serius, partim donatione partim emptione, pervenere ad manus Comitis Michaëlis Thurzo, Comitis Forgatsch, denique Comitis Stephani Illésházy anno 1584. cujus nepotum dominio hodiernas usque dies subsunt.

Thermae hae longa abhinc hominum memoria, ab efficacia famosae, et non solum intra, sed et extra regni limites notissimae, omnibus, pro recipiendis hospitibus, eorum votis et desideriiis satisfaciendis, provisae sunt. Advenas altioris dignitatis et ordinis, pars altera palatii Excell. Dni Comitis Stephani Illésházy, parte altera sibi reservata, ejusque benevolentia et hospitalitatis amor, suscipiunt. Ipsum palatium architectura italica affabre constructum, in duas protensum alas, continet praeterea eleganter structum thermopolium (Kaffehausz) et sat amplum locum saltationis, lusibus, amicis confabulationibus, saltationique dicatum, in quo ultimo olim comici animos exhilarabant hospitum, quem in finem aliquot ab hinc annis in horto publico usui dicato

t) Georg Wernherrus, de admirandis Hungariae aquis Trajani ad Rhenum 1505.

u) Historisch-politisch-geographischer Atlas der ganzen Welt XI. Theil. S. 943, Bonfin. rer. Hung. dec. 4. L. III.

aedes posita est, tecto, ea, quam spectantes tenebant, parte carens, sicque interdum lusus concedens. v)

Ad ipsum angustum pagi ingressum, monti vicinum adest diversorium, cuius superior tractus commodum compluribus advenis praestat habitaculum. A dextris trans pontem fluvii Tepla, magnum aedificium esurientes excipiens conspicitur, in cuius insignis amplitudinis oeco, effigiem Comitis videre est, domicilia quoque non pauca hospites suscipientia, bene ordinata tenet. Sunt praeterea plures recentiori tempore aedificatae, in vicinia balneorum, aedes, et Chirurgi seu Balneatoris (Bademeister) pone rivulum domicilium, compluribus insigne est delictum. Reliquae casae rusticae cubilibus et cameris instructae, commoda utcumque, erga moderatum aeris valorem, largiuntur habitacula. Memoratu dignissimum est, thermas Tepliczenses, quo ceterae, si exceperis Herculeas, intra totius regni Hungariae limites existentes destituuntur, proprio pharmacopolio, et stabili Chirurgiae Magistro, nec non in vicina Civitate, casu discrimine pleno urgente, Physico ejusdem Comitatus, experientia et fama insigni, notissimo, ceteris palmam eripere, atque ut sidus primae classis eminere. Pauca eorum, quae politia medica thermis adscribit, ut scopo respondeant, necessaria, hic desiderabis. Oppidum Dubnitz cum quibusdam vicis, haud magno intervallo a se invicem dimotis, maxime autem Trenchinium, id quod locus thermarum non suppeditat, e victualibus, pro voto et hospitem orexi, larga administrant quantitate. Ecclesiam ante palatium existentem, circumdant tabernae mercatorum exoticorum,

v) His diebus pro perpetuo theatro hyberno posita sunt fundamenta, quod sub decursu huius anni, conatibus plurimum, perfectam sui parationem, nanciscetur.

luxus articulis rebusque necessariis aliis provisae. Pone palatium a sinistris descendendo, in hortum vitae sociali atque distractionibus devotum, patet introitus, in quo harmonicus musicae sonus, numerum deliciarum auget. Non procul ab eodem, fons saliens, optimam pro potu largitur aquam.

Situs thermarum Tepliczensium, in lata valle Vag, lateralem angustam huius occupat partem, tam a dextris, quam a sinistris, partim calvis saxis, partim dumetis et silvis obsessis cingitur montibus, ejusque remotiorem dorsum, frondosus, e medio sui calvæ prominentem rupim emittens, ortum versus occludit mons carpathicus, botanico respectu, ob copiam plantarum hic florentium, memorabilis, quibus omnibus amoenissima thermis conciliatur situatio, eo adhuc locupletata, quod a dextris proximus arboribus pulcherrimis ditissimus mons, deambulacra umbrosa, frigidiuscula offerat iis, quibus montem scandere lubet, e quo juga montium, vallis cum suis pratis et agris fluvio Tepla divisis, prospectum largiuntur majesticum.

Aër atmosphaericus huius vallis saluberrimus, et hominibus et animantibus aprime conducit, endemius enim ut *Adami* testatur morbus hic nullus, neque epidemia ab hominum memoria saeviebat ulla. Incolae cetera sani, exercitati, robusti vegetique ad obsequia hospitem prompti, excellunt.

Clima, quamquam septentrionali carpathico adnumeratur, nihilominus sat mite esse, cultura vinorum in proximis territorii Trenchiniensis regionibus, manifeste evincit; hiems non rigida nec diuturna, veris tamen initium inconstans; aestas non fervida, mense octobri mitis, noctibus frigidiusculis inchoat autumnus, eo tamen non obstante, diebus huius mensis balneare, nil inconvetum est. Vegetatio hujus soli, admodum

alacris, uberrima, nil exaggerati dicam, dum fertilissimam, eandem nuncupavero.

Montes, e quorum visceribus salutaris scaturit thermarum Tepliczensium aqua, componuntur: breccia calcarea, in qua calcarius suillus impactus, reperitur; pyrites exigua duntaxat tenent quantitate, et ea, quae hinc inde occurrunt frusta, minima referunt fragmenta; majora, gypsum radiatum crystallisatum coloris flavi, copiosiora invenit Carl anno 1808 in vicino a dextris monte Machnats. In locis, e quibus frigida prosilit aqua, magna copia deprehenduntur: calcarius tofus, calcarius — et argilla marga, diversis sub formis et coloribus.

Anno 1580 et 1586 secundum Jordan w) erant duo solummodo alvei (Wasserbehälter, Hlubiny) sat ampli vix 10 passus ab invicem remoti, alter nobilibus, plebi alter dicatus. Anno 1726. Comes Salm, ut Dr. Rayger x) dicit, duos hos alveos in unum majoris commoditatis gratia, converti curavit, cui nomen das Herrnbad impertitum est; non procul ab hocce, secundum Herrmanni asserta, aliud jam anno 1726 erectum, e duabus divisionibus constans balneum das Gemeinbad dictum, distabat; dicit porro, eodem anno tertium, nobilium inter et plebis exstrutum fuisse balneum, quod Rayger das Grafenbad nuncupat, soli domino terrestri destinatum. P. Adami y) testatur, ob copiosum tam plebis quam et extraneorum concursum, balneorum, anno 1766 benevolentia Comitum Georgi Illésházy, auctum esse numerum.

w) In der ersten in mährischer Sprache erschienenen Schrift S. 250 und in Lateinischen S. 66.

x) Vide Dr. A. Herrmanni commentariolum de thermis Trenchiniensibus. pag. 18.

y) P. Adami Hydrographia Comitatus Trenchiniensis. Viennae 1766. pag. 12 et 96.

Tantas post omni anno institutas renovationes et emendationes, hodierna die numerantur, quorum denominationes a diverso balneantium statu et dignitate repetuntur, balnea sequentia:

1) **B. Potatile** das Brännlein (Brünndel) domini terrestris proprium lavacrum esse *Adami* asserit, *Seidler* vero negat, dicendo, in hocce non balneatur, verum aqua ob diureticam qualitatem bibitur solum. Format quadrangulum, non multo majus ipso alveo, balneum dominorum inter et officialium situm, e quo in prius uno, in posterius tribus hiat aqua canalibus, pro potu vero exteriora versus continuo fluit rivo.

2) **B. Procerum** seu dominorum das *Herrn- oder Herrschaftsbad*, hodie, balneum *Nro. I.* inscriptum, quadranguli oblongi refert formam, muris cinctum, binis pro vestibus deponendis, aliis requisitis exceptis, fornace quoque provisus, hypocaustis instructum. Alveus undiquaque cancellis ligneis cinctus, octo pedes lato gaudet ambitu.

3) **B. Officialium** das *Offiziersbad*, (hodie balneum *Nro. II.*) ejusdem ac praecedens formae, reliquis quoque apparatus multum priori analogus.

4) **B. Civium** das *Bürger- oder Neubad*, a multis pro duobus distinctis ast perperam habetur.

5) **B. Commune** das *Gemein- oder Bauernbad*.

6) **B. Judaeorum** das *Judenbad*, quorum duo, alterum pro viris, alterum pro mulieribus, adsunt.

7) **B. Pauperum** das *Armen- oder Bettler-Bad*. Haec quatuor simul, e parietibus ligneis affabre constructum, uno tecto provisum constituunt aedificium. Duo haec postrema balnea propriis destituta scaturiginibus, a balneo Civium, nimis calidam et abundantem sibi mutuant aquam, a quo non nisi tabulato discriminantur pariete, ipsum vero solum filiale balnei communis est.

Seidler ^{z)} commemorat etiam balneum frigidum das kalte Bad, cujus tamen hodierno tempore nulla supersunt vestigia, nec unquam qua distinctum existit balneum; verosimillimum videtur esse, eum nil aliud, ac balnei dominalis in angulo meridionali pone introitum, intellexisse aquam, quae ob continuum aquae frigidae adfluxum, in eodem loco, multo minorem temperaturae gradum obtulit.

Latitudo et profunditas alveorum, ab anno 1808 ad praesens usque tempus eadem semper sunt, quarum conspectum sequens exhibet tabella:

Numerus.	Nomina Balneorum.	Alvei					
		Longitudo		Latitudo		Profunditas	
		Ped.	Poll.	Ped.	Poll.	Ped.	Poll.
1	Potatilis	8	3	7	3	1	5½ ^{*)}
2	Dominalis	42	—	18	—	4	2
3	Officialium	18	—	18	—	4	4
4	Civium	20	—	17	—	4	5
5	Communis	21	—	18	—	4	5
6	a) Judaeorum pro viris	11	—	10	—	4	5
	b) Judaeorum pro mulieribus	11	—	10	—	4	5
7	Pauperum	24	—	7	—	4	8

^{*)} Profunditas hujus totalis, metiendo per foramina perterebrati pavimenti, ad fundum usque naturalem efficit 1 et ½ ped.

^{z)} Kurze Beschreibung des Trentschiner warmen und Gesundbades von Carl Seidler. Wien 1791 S. 4 dicit, das

In comparatione capacitatis alveorum hodiernorum, cum eadem antecedentium, ab Adami 1766. Kiesswetter 1774. et a Ch. Seidler 1794. determinata, videre licet alveum balnei dominalis, antea nimis magnum fuisse, et quidem ob repertam, tempore renovationis, scaturiginem aquae frigidae, inventumque canalem jam oblitteratum ab incognitis antecessoribus, ad derivationem aquae frigidae institutum. Restaurato novitus canali, anno 1819. et imminuto alveo, ab hocce tempore, eodem semper caloris gradu et insigni gaudet efficacia.

Qualitates aquae Tepliczensis physicas commemoraturus, rationem habiturus sum sequentium:

1. O d o r i s. In vicinia balneorum et canalium singularis percipitur odor, humectato sulfureto calcii, dein huic, quem combustus eructat pulvis pyreus, prout, quem cocta spargunt ova, multum analogus; manifeste igitur hepaticus, vehementer nares feriens. Frigida, humida, nebulosa et imminente tempestate evadit intensior; majori aqua recens gaudet odore, refrigerata spoliatur eodem, ast altiori exposita temperaturae eum pro parte recuperat; in aëre libero, omnibus volatilibus principiis fugatis, omnem nec unquam recuperandum perdit odorem.

2. S a p o r i s. E balneo Potatili (Brünnelein) degustata aqua, sapit ut ea temperiorem vitalem tenens sic dicta mollis ea tamen cum distinctione, quod odor sulfureus eodem simul momento, olfactorios adficiat nervos, sufficienter dum refriguerit, gustata, tum

kalte Bad, für Personen deren Zustand keine Wärme leidet, weil dieses Bad, nur die Wärme einer Milch hat, viel Eisen führt, und seifenartig ist; nach Fahrn. Th. soll 94° warm gewesen seyn.

ut verbis utar Herrmanni, aa) „nihil, quod sive salsuginem, sive acidulum quiddam referret, notare potuimus“.

3. *Temperaturae.* Non omnium eodem caloris gradu imbutae sunt balneorum aquae, verum, quam thermometri ope comperimus, diversam exhibent temperiem; secundum Aloysi Carl, anno 1808 et 1825 denuo reiteratam investigationem, sequentem singuli alvei tenent caloris gradum:

Numerus	Caloris gradus supra serum.	Secundum		
		Reaumur.	Fahrenheit.	Centesimal.
1	Potatilis	32,00*)	104,00	40,00
2	Dominalis	30,50	101,37	38,12
3	Officialium	30,00 ⁿ	99,50	37,50
4	Civium	31,00	101,75	38,75
5	Communis	29,75	99,00	37,22
6	Judaeorum pro viris .	29,50	98,37	36,87
	— pro mulieribus	29,50	98,37	36,87
7	Pauperum	29,50	98,37	30,87

*) Thermometrum Reaumurii ad fundum demissum, dimidio adhuc ascendit gradu. Al. Carl. in op. e. pag 82.

4. *Habitus externi.*

a) *Aquae recenter haustae.* Est, ut Adami exprimit: „aqua in vitrum fusa clara, crystallina, fontium purissimae instar, pellucet.“

aa) De thermis Trentsiniensibus pag. 28. §. 4.

b) Aquae in plenâ a primae clausis loco temperato asservatis vitris. Persistit talis per menses imo annos, quin odorem specificum amittat, vel sedimentum deponat, aut limpiditatem vel pelluciditatem perdat.

c) Aquae, in artificialiter occlusis et inversis vitris, gase sponte evoluto refertis. Nullo per menses et annos physico spoliatur caractere; operculo tamen e subere non involuto, verum libero adhibito, in eadem nigricantes oriuntur flocci.

d) Aquae vitris late patentibus aëri atmosphaerico expositae. Specifico orbat odor, limpida pellucidaque manet, ast tam in parietibus, quam praepimis in fundo vasis, albo-flavum conspicitur sedimentum.

e) Aquae, e scaturigine in alveos irruentis, et his repletis, per canales defluentis. Jordanus, Herrmannus, et Adami ajunt: turbari aquas has statis horis semel iterumque quotidie, imo turbari etiam ab afflatu ventorum, nebulis pluviosaque tempestate, vulgi fert narratio. Dicit porro Adami: „Ego et ante me cel. Herrmannus, data opera, huic vicissitudini intentus, frequenti usu didicimus, stas horas, quibus limpidae turbarentur non dari, dumque maturius innovarentur, eas maturius turbari, tardius contra, si hesternae tardius demissae essent; atque tunc quadrihorio post innovationem deponunt ad fundum et scamna pulverem flocculentum, coloratum, ex albo luteolum, lubricum adeo, ut nisi vestigia fallere debeat, scopis everrendus sit.“ — E scaturigine tamen, nunquam turbida, nisi sub vehementiore vulcanorum eruptione, aut magno vicinorum montium carpathicorum terrae motu. (Carl.)

f) Aquae, per canalem e balneo potabili (Brünndel) efluentis. Haec quoque limpida reperitur, id tamen memorabile est, quod cito in canali albo flavescens pultis adinstar molle deponat caenum, paucis diebus post defluvium aquae iudurandum.

5) Ponderis specifici. Gravitas aquae, ob penuriam ponderabilium partium constituentium facile erui potest. Praesente naturali aquae caloris gradu, ob spontaneam continuam gasis evolutionem, genuina huius determinatio evadit impossibilis. Volatilisato gase, aquae Tepliczensis, ad aquam stillaticiam (postquam ambae ad 10° caloris therm. Reaum. reductae fuerint) assumi potest proportio, ut 5120 : 3106. vel, uti 1,0045 : 1,000.

Secundum analysim cel. Carl bb) copiosissimis institutis experimentis, aqua Tepliczensis tenet fixas et gasformes partes constituentes, sequentes :

1. Acidum Carbonicum.
2. — Hydrothionicum.
3. — Sulfuricum.
4. — Muriaticum.
5. — Phosphoricum.
6. Oxydum Calcii.
7. — Strontii aut Baryi.
8. — Magnii.
9. Oxydulum Ferri.
10. Oxydum Mangani.
11. Principium foetidum sulfureum Westrum-
bii (Stinkstoff.)

bb) Al- Carl in L. cit. pag. 88 — 150.

Quantitativam fixarum et gasformium partium constitutarum proportionem, in 40 unciis aut 800 partibus aquae Tepliczensis, secundum Carl, sequens exhibet tabella:

I. Gasformium poll. cub.			II. Fixarum gr., et quidem A. qua Anhydratar:					
Acidi Hydrothionici.	Acidi Carbonici.	Azoti.	Silicae.	Aluminae cum paucis Ferri atomis.	Super-carbonatis Calcariae.	Sulfatis Calcariae.	Hydrothionatis Calcariae.	Sulfatis magnesia.
			2,280	0,390	16,782	12,220	3,680	14,930
In talibus voluminibus, quorum 10. unciae dimidiae aquae destillatae sub 13° R. aequivalent.			B. Qua Hydratarum.					
			Si. O † H O.	Al. O.	C O † Ca. O.	S O † Ca. O. † 2. H O	S H † Ca. O.	S O † Mg † 5 H O.
12,857	27,148	10,000	4,810	0,390	16,782	15,430	3,680	26000

Paulus Adami cc) chemice investigatis aquis his, asserit inesse :

1) Spiritum sulfuris elasticum.

2) Sulfur naturale, terrae alcalinae laxius nuptum sub specie hepatis sulfuris.

3) Salem communem.

4) Salem alium medium, basi alcalina terrestri tenera, et acido salis laxius impraegnata, constantem.

5) Terram calcariam vitrescibilem albam, selenitidis instar splendentem, et quasi striatam. — Frustra hic, nisi ad meridianam chemiae lucem caecutire velis, quaeres alumen, vitriolum, antimonium, martem, et id genus eminentiorum corporum, quorum nec vestigium quidem isthic reperere queas.

Analyses, quas Thomas Jordanus a Clausenburg anno 1580. Dr. Hierneis anno 1760. Dr. Jaon. Just. Torkos, instituere, et aliorum, qui solummodo describere, multum a vero abluere videntur, ideo nec commemorari merentur.

Quas thermae Tepliczenses, in sanandis diversissimis morborum formis exerunt virtutem et efficaciam, quam maxime, praeter ceteras partes constituentes, sulfurii copioso et, quo impraegnatae sunt, calori nativo debent. Quanta sulfuris in corpus humanum sit efficacia, nemo medicorum non noscit. Quis autem ignorat, referro verba Adami, sulfur, quod alioquin balsamicam, nervis amicum, calefacientem, roborantem, demulcentem, purificantem, minima vascula penetrantem et anodynam virtutem praesefert, solidis, juxta et visceribus robur atque tonum egregie restituere, et minima vascula reserare, maxime dum halitus forma cum spiritu illo minerali poros corporis subintrat. Tunc

cc) P. Adam in L. cit. pag. 40 — 52.

etenim rubram sanguinis partem accedente simul thermarum calore commovet, ejusque circuitum adauget; serosam calefaciendo, subigit, exsiccat, attenuat, resolvit atque ad hunc modum liberum expeditumque ejus circulum efficit, qui dum solidas partes subit ac transit, haerentia illic recrementa eluit, et discutit, atque saepius ad loca se- et excretoria adpulsus, eadem deponit, depuraturque.“

Alterum efficax aquae Tepliczensis principium est *caloricum*, cui propria hujus, quae in solo lenissimo atque blandissimo consistit stimulo calorigeni in corpus vivum, innititur actio. Dynamica hac vi, ipsa natura quaecumque revivificat materiam, sine qua omnis sileret vita. Aquarum igitur, licet easdem constituentes teneant partes, temperatura artificialis, aut quarum caloris, dum interea partes fixae fundum, gasformes alta petunt, decrescit gradus; nullatenus eosdem, quos thermae Tepliczenses in organismum effectus, provocare valent, eo minus possunt his, similes substitui, eorumque supplere vices. Respectu igitur hocce, merito efficacissimas inter aquas regni nostri sulfureas, primum occupant thermae Tepliczenses locum, antiquitus jam iisdem assignatum.

Ad explicandam harum thermarum actionem salutarem, in morbis decursu chronico notatis, manifestam, opinatur *cel. Carl*, morborum horum indolem radicari, in turbatis processus hydro — galvanico — electrici et magnetici evolutionibus, atque in incipiente partium organicarum anorganisatione, partialique corruptione unius alteriusve ad vitam spectantis organi. Thermas vero considerat ut electricum balneum calidum, in quo balneans, qua utriusque poli conductor spectandus est.

Cum de efficacia, usu, indicationibus et contraindicationibus aquarum sulfurearum, prout et de cautelis

atque regimine diaetetico, prolixius in sectione altera tractavi: hinc, partim ob angustiam loci, partim ne dicta denuo repetantur, jure praecedentium hic assignatur locus. Superest peculiare quosdam enarrare effectus. Sunt autem:

1. Peculiaris animi exhilaratio et vivacitas, subnitium usus hujus aquae.

2) Sudoris apud plurimos cita proruptio.

3) Singularis per universam corporis superficiem percipiendus sensus irritationis, cum accelerato sanguinis cursu.

4) Eruptio citior aut serior exanthematis, mox symptomati mox critici, 8 vel 10 die sponte evanescentis.

5) Sitis molesta, longiori balnei usu inducta, in primis post balneum matutinum.

6) Sexus sequior, nimis profuso fluxu menstruo obnoxius, diuturniore balnei usu, plectitur haemorrhagiis profusis, licet moderatus minime nocivus evadat.

7) Debilia prout et robusta plethorica individua, maximum percipiunt caloris aestum.

L i t e r a t u r a.

Georgius Wernherus de admirandis Hungariae, aquis. Trajani ad Rhenum 1505. etiam in Schwandtneri Scriptores rerum, Hungaricarum.

Tomasse Jordana 3 Klausenburku, Doctora a Lekara zemského v Markhrabství Moravském Kniha, o, Wodach hogitedelných neb Teplících Moravských. Kl. 1580.

Thomas Jordanus Clausoburgus, Publicus marchionatus moraviae medicus, edidit commentarium de aquis medicatis moraviae, cum indice copiosissimo. Francofurti 1586.

- Andr. Baccius** de thermis 1622.
Ed. Brownius in itineraio suo 15. Trentsinii? 1642.
Ad. Beneschovinus in carmine suo Trentsinii edito de Thermis. 1642.
Car. Raygerus in manuscriptis ad G. Wernherum de admirandis Hungariae aquis.
Steph. Csiba. diss. historico- physica de admirandis Hungariae aquis. Tyrn. 1713.
Andr. Herrmanni commentariolus historico-physico- medicus, de thermis Trentsinienibus. Lipsiae 1726.
Thermophili Moravi succincta narratio de origine et usu thermarum, prope regiam Civitatem Tretshinium, Ollomucii 1752.
P. Adami Hydrographia Comitatus Trencsinienis. Viennae 1766. pag. 31—57.
Al. F. Kieswetter das hochgräflich Illésházysche nächst Trentschin im Königr. Ungarn gelegene Töplitzer Bad. Brünn. 1774.
H. J. v. Cranz Gesundbrunnen der Öst. Monarchie. Wien 1777. pag. 140.
Taude Synopsis 1779 pag. 70.
La Langue Magyar ország orvos vizekröl Nagy-Károly 1783. pag. 160—162.
Korabinszky Geographisch-historisch- und Producten-Lexicon von Ungarn 1786.
C. Seidler kurze Beschreibung des Trentschiner Warm- und Gesund-Bades. Wien 1797.
Mayr. Dispens. universale 1798 pag. 401.
Weissenbach's Briefe aus den Bädern zu Teplitz im patriotischem Tageblatte. 1803. zweites Vierteljahr. F. 406.
Andenken an Trentschin, o. Abhandlung über das Trentschiner Bad. Brünn. 1817.

- Die besucht. Badeörter des Oest. Kaiserst. Th. II. S. 223.
- Kastner's Archiv. Bd. IX. S. 330.
- C. v. Szepesházy und J. C. v. Thiele. Merkwürdigkeiten des Königreichs Ungarn. Kaschau. 1825. Bd. II. S. 190—192.
- Aloys Carl die Schwefelquellen zu Töplitz nächst Trentschin. Pressburg. 1826.
- C. v. Szepesházy u. J. C. v. Thiele. Neuester Wegweiser durch das Königreich Ungarn. Kaschau. 1727. S. 226 — 233.
- J. v. Csaplovics Gemälde von Ungarn. Pesth. 1829. S. 91.
- A. T. Hecker's praktische Arzneymittellehre. 1830. Bd. II. S. 839.
- C. Stucke Abhandlung von den Mineralquellen im Allgemeinen. Cöln. 1831. S. 82.
- E. Osann Physicalisch - medicinische Darstellung der bekannten Heilquellen. Berlin. 1832., Th. II. S. 212 — 214.

§. 15.

Thermæ Pöstyénenses.

Thermæ Pöstyénenses ab oppido Pöstyén *Pießtjan*, sic dictæ, in Comitatu Nitriensi, oriuntur in valle amoena fluvii Vág, eidem proximæ. Ab Oppido, quod ab Austro et Occidente planiciem apricam fertilissimam, a Boreali et Orientali parte amoenissimam montium et collium spectat Coronam, dimidia hora, Tyrnavia sex, Galgoczio tribus, Vág - Újhelyino duobus, Trenchinio quatuor et Posonio novem distant

milliaribus. Vicinum in eadem ripa, hospitibus recipiendi, aptissimum pagum Teplitz, et fontem thermarum, quadringentorum circiter passuum longum, arboribus consitum segregat spatium arenosum; in adversa vero fluvii parte, vicum Bánka (Bantza) respiciunt thermæ. Pertinent hæc ad dominium Viduæ Exc. D. Comitis Josephi Erdödy de Monyorókerék, qui tam respectu balneorum, quam etiam respectu oeconomico pro excipiendis, alendis et curandis hospitibus tanta fecit, ut thermæ hæc merito inter præcipuas Hungariæ referri merentur.

Historiâ thermarum Pöstyénensium procul dubio tempore Romanorum jam cognitarum, simul ac aliarum, genuina minime noscitur, cujus rei, ipse ortus scaturiginum adeo diversus et mirabilis, non exiguam gerit rationem. Primus casus anno 1505. commemorat Wernerus, dicens: Vagi ripa supra Galgoczium nunc maxime nobilitata est calidis, non propter vim earum salubrem tantum, qua omnes in Hungaria calidas superare existimantur, sed etiam propter varium planeque mirabilem earum ortum. Non enim ullum certum habent fontem, sed alveum fluminis sequuntur, et ut is excrescit, vel decrescit, ita aut recedunt, aut accedunt; solent autem, quo magis exundat, hoc magis recedere; proinde qui lavare volunt, subinde alias atque alias scrobes fodere, et quasi novos puteos aperire coguntur. — Porro Crato a Kraftheim A. 1571. — Andr. Baccius eodem anno — Nic. Istvánfius A. 1599. — Ad. Trajanus Beneschovinus A. 1642. — Fröhlichus A. 1643. — Zeilerus A. 1616. — Ed. Browne. A. 1671. — H. J. a Cranz A. 1777. — et recentissimis temporibus P. Kitaibel, earum mentionem fecere. De thermis Pöstyénensibus, quas possidemus Monographias, serius adducam.

Cel. *Torkos* aa) refert, quae vero superioribus saeculis circa has thermas observata fuerunt, eadem ad nostram usque aetatem omnia ferme similia sunt et congruunt. Nam pleraeque scaturigines sub fluminis alveo continentur, cum Vago fluvio vagatur, illo nempe crescente a littore recedunt, illo redeunte in consuetum alveum, istae quoque sequuntur; subinde etiam, quod tamen Auctores dicti, non tam perspicue notarunt, ex una Vagi ripa in alteram transmigrant. Annis 1505—1599—1642. in ripa citiore Tepliczensi; annis vero 1646—1671. in ulteriore Bankensi fuere, ab hocce tempore ad annum 1709. usque constanter eundem tenuerunt locum, intra quod temporis spatium plura extiterunt balnea minora, et tria majora, quorum maximum tantae capacitatis erat, ut 100 individua continere potuerit. Anno 1732. jam reversas in dextra Vagi ripa conspexit *Torkos*, in stagnante vero sinu fluminis, magnam ferventissimam aquam profundentem scaturiginem. Anno vero 1740. omnia mutata reperit, balnea enim in adversa Bankensi fuerant ripa. Anno demum 1743. observavit a pristino loco flumen comitantes discessisse thermas, e locis vero balneorum A. 1740. effossis, ne gutta quidem aquae calidae verum magna gelidae adfluxit copia. Praeterea Vago detumescente in medio fluminis tres orgyas profundi, coelo sereno conspexit petram prominentem, circa quam in sat amplo circuitu, perpetuo fluctuabat aqua, et ex ipsa, magna erumpebat scaturigo, quamplurimas longe lateque extrudens bullas. Calidam hanc esse, et sentiri, Vago magis decrescente, asseverabant incolae. Hanc scaturiginem unam eandemque Anno 1732. ob-

aa) Schediasma de thermis Pöstheniensibus. Posonii. 1717. pag. 17.

servatam, esse asserit, quod locatio balneorum, aequalisque distantia a monte, secundum dimensionem et spatium locale manifeste evincunt.

Harum vero migrationum non aliam agnoscit causam, quam variationem et devolutionem fluminis huc illucve. Vagus enim rapide, per fundum ubique glareosum decurrens, facile novos meatus ac alveos sibi effodit. Cessionum vero et retro cessionum thermarum de-vel accrescente Vágo causam illustrant experimenta physica, quibus demonstratur, aquam premere secundum altitudinem et molem suam nimirum, quo columna et moles aquae altior majorque est, eo magis quoque premit.

Ab hocce tempore eundem, quem nostro aevo, constanter tenent locum. Inde intimum, flumen inter et scaturigines elucent commercium et, quos Vagus in situm thermarum exerit influxus potentes.

Licet thermae, quibus vetustissimis jam inclaruere temporibus, divina gloriantur efficacia et virtute: multis tamen ob exundationes Vagi majores, premuntur molestiis ac incommodis. Duae harum terribilium exundationum, commemorari merentur, quarum altera A. 1744, altera 1813 die 26. Aug. ingentem totius thermarum loci vicinorumque pagorum, induxerunt stragem, adeo, ut longiori tempore omnis earum impossibilis evaderet usus.

Regio haec admodum frequenti obnoxia est vicissitudini tempestatis, partim ob continuam montium Carpathicorum catenam secundum cursum Vagi decurrentem; partim ob viciniam huius fluvii; pluviis enim quolibet tempore, et aliquando nimium copiosis invisitur, nives quoque Carpathicae, subinde maturius, subinde tardius liquescunt, accedit his inclementia aëris pluviis et ventis sollicitata, balneantibus inter eundem ad balneum et redeundum ad hospitium, ini-

micam inferrens vim, eo tamen non obstante amoena quoque constanti temperataque gaudet tempestate.

Thermarum originem in vicinis trans fluvium sitis montibus latere, communis est accolarum opinio, quam et tempore hiemali manifeste evincit observatio. Nam, etiam si intensissimo frigore, gelu stringatur amnis; remanet tamen unius orgyae latus, oblique fontem versus protensus hiatus, e quo densi eructantur vapores. Tenent vero montes ejates: spathum calcarium densum, et hincinde interjacentem schistum micaceum; — non procul a Pöstyén vestigia lithantracum et pyritis cernuntur.

Scaturigo princeps, quae olim in medio amnis fuerat, nunc prope dextram Vagi ripam est, refertque ligno cinctum fontem 7 pedes, 10 pollices latum, 11 ped. 4 poll. longum, et 7 pedes profundum, sub perpetua bullarum promanatione evolvit odorem proprium hepaticum, praecipue tempore matutino, vel Vago aquis inundato, nubibus fere vaporis aquae cingitur. Similes vapores extenduntur etiam secundum sinistram Vagi ripam, imo pauciores in medio fluvii, in cuius lecto scaturigines delitescere, verosimillimum esse videtur. Aquae in fonte principali, respectu copiae et temperaturae in magno cum Vago sunt nexu, maxima temperatura est 49 — 51 Reaum. Copia aquae thermalis cum ea Vagi in ratione indirecta est. Ex altera Vagi ripa in alteram migrasse aquas, limpiditatis tamen constantis manere (nisi imminente tempestate) observatum fuisse, antea exposuimus.

Sereno tempore aquae Pöstyénenses sunt limpidissimae, adeo ut in fundo minimus lapillus conspici queat, interdum vero praesertim imminente tempestate adeo turbidae et tinctae fiunt, ut fundus nequaquam cerni possit. Vapor e fonte evolutus spargit odorem volatilem hepaticum, nec phthisicos multum ve-

xantem. Sapor aquarum est acer nidorosus, frige-
 factarum vero minime ingratus, ita, ut potui et cibis
 coquendis aptae sint. Fons frequentissimas gasis,
 continua ebullitionis specie, emittit bullas. Tem-
 peraturae, aestate ac hieme est idem gradus, longio-
 rique tempore ab aqua retinetur, adeo, ut haec in
 doliis pro balneo submitti possit, ad loca vicina, quin
 eodem spoliatur. Creditur tamen passim, aquam in
 ipso fonte adeo fervere, ut ovum intra minutum du-
 rari, pullus vero deplumari possit: at digitum investi-
 gantis longiore tempore sine noxa admisit, ovumque
 immissum post 30 Minuta extractum nec minimum
 mutatum inventum est. Species itaque ebullitionis
 a gase bullarum forma dependet. Cum tamen balne-
 antes tantum perferre nequeunt temperaturae gradum,
 aquae thermales, in balnei usum praevie defervere, et
 in teporem naturae singulari congruum reduci debent,
 quod fit vel aquam thermalem longiori tempore aëri
 atmosphaerico exponendo, vel frigidam adfundendo,
 ast non fluvii Våg, Wernherus enim jam dixit,
 aqua pro balneo potius deferveat quam ut eidem frigi-
 da amnis misceatur. Genuina enim harum aquarum
 mixtio nequaquam contingit, est enim specificè levi-
 or, et communiter, retento simul eodem caloris gra-
 du, huic supernatat. Aquae sub nullo frigoris gradu,
 huc ad usque cernebantur congelatae. Lagenae iis
 recentibus repletæ, moxque obstructæ facile disrum-
 puntur.

Aquae quieti relictæ dimitunt sedimentum seu
 lutum aterrimum, attactu mollissimum, valde copiosum,
 odorem spargunt hepaticum, accenso pulveri piryō si-
 milem.

Optimam, quam hucadusque aquas Pöstyénen-
 sis possidemus chemicam analysim, L. B. Jacquin
 et Prof. Scholz instituerunt.

Aqua in vitris bene clausis Vindobonam transmissa, limpida, pellucida absque sedimento deprehensa debilem hepaticum eructabat odorem. Adhibita reagentia indicarunt adesse acidum muriaticum, sulfuricum salem amarum, calcem, et quidquam acidi hydrothionici. Destillatione, excepto praesente aëre atmosphaerico, nullum obtentum est gas, quamquam gas hepatici praesentiam suspicari licet, cum superficies hydragyri bruneo obducta sit colore.

Analysis huius aquae, fixarum partium constitutarum quantitativam proportionem exhibet sequentem:

E 43 Unciis aquae ad siccum usque evaporatae, 26,50. grana remansere, et quidem:

Natri sulfurici	10,00. gr.
Magnesiae sulfuricae	3,00. —
Calcariae sulfuricae	7,00. —
Natri muriatici	1,54. —
Calcariae carbonicae	2,20. —
Magnesiae carbonicae	2,00. —
Silicae	0,50. —
	<hr/>
	26,24. —
Jacturae	00,26. —
	<hr/>
	26,50. —

Secundum analysim Prof. Scholz, 100 grana coeni tenent:

Silicae	62. gr.
Oxydi Ferri	11. —
Aluminae	12. —
Calcariae	5. —
Humi	1. —
Aquae	9. —
	<hr/>
	100. —

In 40 vero granis incrustationum idem reperit :

Silicae	12. gr.
Calcariae et Magnesiaie	19. —
Oxydi Ferri	3. —
Aluminae	5. —

39. gr.

Jacturae 1. —

40. gr.

Memorable est cacnum et incrustationes tantam oxydi ferri tenere quantitatem, ipsam vero aquam nec ullum monstrare vestigium.

Partibus his constitutivis nec numerosis, nec efficacibus relate ad insignes, quos in corpus humanum exerunt, effectus consideratis: non partibus constituentibus, verum ipsi aquae qua tali, vel adjunctis peculiaribus effectus hi facile adscribentur. Ast non oblitae magnae materiae animalis vivae receptivitatis, quam vel minime modificatam et mutatam stimuli iidem varie adficiunt, quod diversa processus vitalis indoles, partim sensu, partim motu manifesta prodit; dubitare vix licet, partes constitutivas, quamquam vix notabiles videantur, certa proportione junctas, certam in organismo vivo recipiendi facultatem offendentes, processum vitalem insigniter adficere, inque eo mutationes exoptatas provocare posse. Quam insignem et adeo diversam in organismum vivum actionem, exerat minima stimuli modificatio, abunde constat e copiosissimis experimentis Galvanicis D. a Humboldt, confirmante id et cel. Pfaff. bb)

Adhibetur usui medico aqua thermarum Pöstyénsium:

bb) Vide: Disquisitio anatomico-physiologica organismi corporis humani eiusque processus vitalis edidit Prochaska Viennae 1812. pag. 27 28.

1) **Pro potu**, vim praecipuam in organa chylo — et uropoëtica exerendo, et in mala cavo abdomini recondita efficaciter operando; — sollicitat appetitum, digestionem, evacuationem intestinalem, secretionem urinae atque somnum, commendatur inprimis in lythiasi et adfectionibus haemorrhoidalibus, atque hypochondria.

2) **Pro balneo**, in omnibus malis chronicis in parte generali expositis, meritis encomiis celebratur.

Sunt autem duplicis generis balnea, altera communia, separata altera. — Balnea communia, die **Geh - Bäder**, quatuor diversi ordinis complectuntur balnea, et quidem:

1) **B. dominorum**, das Herrschafts-Bad, aliis simpliciter das Geh-Bad, hominibus dignitate et ordine superioribus devotum.

2) **B. Commune**, das Gemein-Bad.

3) **B. Judaeorum**, das Juden-Bad.

4) **B. Caeni**, das Schlamm-Bad.

Communiter moris est separatim in cadis balneare. Quo respectu, in distantia 20 passuum a fonte, exstructum aedificium, formae oblongi quadranguli, medio ambitus cruciati in quatuor divisiones partitum, 28 continet e lignis constructa cubicula, in quae calida frigidaque duobus canalibus derivatur aqua. Omnis aqua e fonte principali hausta, medio machinae impellitur pro parte cadis, pro parte duobus receptaculis ante aedificium locatis, pro defervendo, quae dein in temperandam naturae individuali adcommodatam deservit aquam. Simile, ast multo minus, 8 solum cameris provisum aedificium, Judaeorum usui destinatum, in exigua a priori conspicitur distantia.

Aegri nimium debiles, aut quibus non lubet, vel impossibile fit domum balneatoriam accedere, in propriis domiciliis balneis uti possunt; id quoque valet de his, qui diversorium inhabitant.

Praeterea solitariae scaturigines ad utramque fluvii ripam nimium calidam fundentes aquam, pro balneo inserviunt egenae plebi rusticae.

Quia tamen balnea Pöstyénensia insigni agunt irritatione, caveat aeger a balneis nimis calidis, intercalarem etiam diem secundum Wallich omni septimana observet unam.

3. Caenum thermarum omnium efficacissimum, cutim nimium sensilem topice adhibitum, instar synapismi rubefacit.

4. Forma collyrii adplicata aqua harum thermarum, singularem in morbis oculorum chronicis, felici observatione coronatam exerit virtutem. — Reliqua de usu et cautelis vide ea, quae sectione II. dilucidata sunt:

Peculiarem commemorationem merentur, Chirurgiae Magister Comitatus, sanitati hospitem invigilans, et Pharmacopolium Galgocziensis filiale, aestatis tempore, necessariis remediis provisum.

L i t e r a t u r a .

G. Wernherus de admirandis Hungariae aquis Trajani ad Rhenum 1505.

I. Crato a Kraftheim Consil. medicorum. Lib. V. 1571.

Andr. Baccius de Thermis 1571. Fol. 262.

Nic. Istványi Historia Hungariae Lib. XXXI. 1599.

Nic. Istványi Hist. Hung. post obitum gloriosissimi Mathiae Corvini. Editio Joannis Jacobi Ketteler. Colonia Agrippina 1624.

Ad. Traj. Beneschovinus in carmine suo Trenchinii celito 1642.

Fröhlich Reisebeschreibung von Ungarn Ulm 1644.

- Zeiller** Neue Reisebeschreibung von Ungarn II. Auflage von Johann Beza. Leipzig 1664.
- Ortelius redivivus** 1665. I. 1. p. 24.
- Ed. Browne** acta anglicana 1671.
- I. I. Torkos** Schediasma de Thermis Pöstheniensibus. Posenii 1745.
- H. I. von Cranz** Gesundbrunnen der oest. Monarchie Wien. 1771. s. 135.
- Taude** Synopsis 1779 pag. 66.
- Windisch** Geographie von Ungarn. Pressburg 1780.
- La Langue Magyar Ország** orvos vizekröl. Nagy Károly 1783. pag. 142 — 144.
- Korabinszky** Geographisch - historisch und Producten - Lexicon von Ungarn 1786. s. 582.
- Mayr** Dispens. universale 1798. p. 400.
- Sam. Bredetzky** Beyträge zur Topographie des Königreichs Ungarn. Wien 1804. Bd. III. s. 242 — 249.
- Aloys von Mednyanszky** Topographie des Neutraer Comitates im Hesperus 1817.
- Prochaska** Einige Nachrichten und Bemerkungen über die warmen Bäder in Piestjan Wien 1818.
- Em. Wolfg. Wallich** über die Bäder in Klein-Pöstyény oder Pöstyén auch Piestjan Wien 1821.
- I. v. Tonházy** Abhandlung über das berühmte Pischtyaner-Bad Pressburg 1821.
- Die besucht.** Badeörter und Gesundbrunnen 1821. Bd. II. s. 187.
- C. v. Szepesházy** und **I. C. von Thiele** Merkwürdigkeiten des Königsreichs Ungarn. Caschau 1825. Bd. II. s. 183.
- L. I. Herrmann** syst. d. prakt. Arzneymittellehre. Wien 1826. Bd. II. S. 179 — 82.

- C. von Szepesházy und I. C. von Thiele. Neuester Wegweiser durch das Königreich Ungarn. Caschau 1827. S. 172 — 179.
- P. Kitaibel Hydrographica Hungariae edidit I. Schuster. Pesthini 1829. T. I. pag. 7 — 10.
- Ph Car. Hartmann Pharmacologia dynamica Vindobonae 1829. T. I. pag. 310.
- I. von Csaplovics Gemälde von Ungarn. Pest. 1829. S. 88.
- A. I. Hecker practische Arzneymittellehre 1830. Bd. II. S. 791.
- Bley Tashenbuch 1831. S. 391.
- E. Osann Physicalisch - medizinische Darstellung der bekannten Heilquellen. Berlin 1832. Th. II. S. 215 — 219.

§. 16.

Thermae Harkányenses.

Oppidum Harkány Comitatus Baranyiensis, dominio Comitis Batthyány subjectum, in planitie fertili situm, a fluvio Drava una, ab oppido Siklós media, tribus et media a Quinqueecclesiis distans horis, gloriatur his efficaciae insignis thermis. Septemtrionem versus regio cingitur catena montium Harkányiensium calcario constante.

Detectae sunt hae thermae anno 1823. Plura aedificia copiosos suscipiunt advenas, quorum votis et necessitatibus summa impenditur cura. Ultimis annis invisentium numerus ad 9 — 1100 ascendit. Balneatur vero vel in societate plurium in labro communi, vel in cadis separatis. Quantitas aquae adfluentis pro lubitu augeri vel minui potest, quod fit aut auctione alvei, per id

enim plures in eundem hiare valent scaturigines, aut remotione caeni; neglecta enim luti amotione, hoc tandem induratur, aditumque adfluxui aquae praecludit.

Fontes sulfurei distincti tres hic scaturiunt:

1) **Bü d ö s t ó** (der stinkende Teich) ortum inter et septemtrionem, versus oppidum **Siklós**, secundum quod denominatur etiam; cel. **Schuster** testante dives sulfure, temperaturae 23° R.

2) Scaturigo ad pagum **Tapolcza**, dimidia hora ab **Harkány** remota, calet ad 19° R.

3) Fons principalis **Harkányensis**, a quo balneum suum consecutum est nomen.

Aqua haec mineralis copiosas evolvit bullas, est odoris fortis hepatici, temperaturae 47° R. in ortu, gravitatis specificae penes 10° R. atmosphaerae 0,980: 1,000. — Copia aquae intra 16 horas affluentis 3,840, urnas implet.

Secundum chemicam analysim, continentur in duabus libris aquae:

Calcariae carbonicae	11,658. gr.
Magnesiae carbonicae	2,000. —
Natri muriatici	3.493. —
Silicae	0.096. —

17,247. gr.

Gas hydrogenii sulfurati 22, 75. poll. cub.

Pertinent ad classem thermarum alcalino-muriatico-sulfurearum.

Dr. Patkovich Physicus Comitatus, pro potu commendat 4—8 pocula, pro balneo, et quod deponunt, caenum adhibet, vel qua additamentum balnei aquae vulgaris, vel in adfectionibus topicis vehementibus qua fomentum.

Indicationes et contraindicationes his, cum ceteris aquis sulfureis conveniunt.

Literatura.

Tudományos Gyűjtemény. 1825. Decemb.

C. v. Szepesházy und T. C. v. Thiele *Neuester Wegweiser durch das Königreich Ungarn. Caschau. 1827. S. 85. — S. 193. — S. 221.*

J. von Csaplovics *Gemälde von Ungarn Pesth. 1829. S. 99.*

Dr. Patkovich, *die Heilquellen von Harkány, kurz dargestellt. Fünfkirchen 1830.*

E. Osann, *physicalich-medizinische Darstellung der bekannten Heilquellen. Berlin 1832. Th. II. S. 277—79.*

Dr. von Vering. *Über die Schwefelquelle in Harkány, in allgemeiner medizinischer Zeitung. Altenburg 1833. 19. Jänner Nro 6. S. 81.*

§ 17.

Aquae Parádienses.

Situs est pagus Parád in valle amoena a jugis Matrae efformata, Agria quatuor horis, tribus vero et dimidia Gyöngyösino distans, Pesthino undecim usque duodecim milliaribus remotus, in cujus territorio aquae hae minerales scaturiunt.

Clima totius Comitatus Hevesiensis, igitur et vallis hujus salubre, mite adeo, ut hic ab intemperie atmosphaerae, a Majo autumnum usque minime sit timendum, aëris salubritas, montium decursus idealis, valles eximiae, regionem hanc amoenissimas inter Hungariae collocant. — Saxa ipsa constant Basalte, lapide arenario, schisto argillaceo et porphy-

ro, abundant praeterea pyritibus, petroleo, gypso, magnesia, alumine et vitriolo martis. Unde praestantia aquarum acido carbonico, ferro, alumine, sulfure insignium, suum admittit explicatum.

Licet autem triplicis ordinis aqua mineralis pago Parádi vicina sit, aquae martialis et aluminosae, cum huius loci non sit, mentionem fecisse sufficiat, solium aquarum hydrothionicarum adumbratione huc relata.

Acidulae hydrothionicae Parádienses tribus locis scaturiunt in valle, intra colles Matrae recurvata, angusta, umbrosa, orientem respiciente; et quidem:

1) Acidula hydrothionica nigra, olim Sulfureo-nigra, seu Sulfureo-bituminosa dicta, in medio vallis loco depresso prorumpit, defluxus ejus parvus quidem est, sed continuus ac constans adeo, ut ne siccissima quidem aestate deficiat. — Aqua est limpidissima, excolor, in scaturigine bullas, non raro cum strepitu emittens, cum exagitur minutas sed copiosas agens; — odoris hepatici, — ructus post potum initio sunt hepatici, superiores naphtham olent; — sapor est grate acidulus, titillans, cum subsequo dulcore; — gradus caloris 15° Reaum, Atmosphaera 24° R. exhibente; — gravitatis specificae uti 10,000: 10,013. — Vase bene clauso non mutatur, nec calore suo privatur, accedente autem aëris actione turbatur parumper nigrescitque:— Sedimentum tam in scaturigine, quam in rivulo defluente ac vase aperto, ab aqua remanens, est nigrum, quod adfuso acido muriatico, fortem hydrogenii sulfurati emittit odorem, ustulatum sulfuris fumum eructat. — Pecora aquam hanc avidissime bibunt, sedimentum nigrum vorant. Quae ei incidunt animalcula: Amphibia, Insecta brevi pereunt. (Physicus Doszler n laudat in obstructionibus viscerum abdominalium et affectionibus haemorrhoidalibus.)

In valle huius fontis, loco huic vicino, caespitoso, nec silvoso hospites expectat aedificium, cubilibus culinisque provisum, quod data opportunitate ampliabitur.

2. *Acidula hydrothionica media*, *Kitaibelo sulfurca-alba*, Anno 1817. *martiali-bituminosa* dicta: a priori paucis solummodo passibus distans; defluxus exiguus sed etiam perpetuus. Omnia, quae praecedenti, et huic conveniunt aquae, minori paululum gradu: temperaturae notabiliter minoris 10° R. atmosphaera 24° R. tenente. Sedimentum huius est candidum, sponte siccatum deflagrat flamma coerulea et vapore sulfuris accensi, Ast A. 1798. cuticulam nigram et sedimentum ejusdem coloris in fonte, non vero in rivulo, exhibuisse, observatum est.

3) *Acidula hydrothionica alba*, fontis novi, in rivuli ripa sinistra, per collem acclivem a priori valle separata, aliquot centenis passibus a prioribus distans: vena ejus exigua continuo tamen rivulum admodum parcum emittens; — prodit cum bullis paucis, ob venae exiguitatem. Color aquae nullus, limpiditas perfectissima; odor fortiter hepaticus, dum quatitur, effervescit et magis odora fit; sapor acidulus, titillans cum dulcore quodam subsequo; ructus primo sulfur redolent, dein vero naphtham minerallem; quod deponit sedimentum est albidum, corporibus obviis adhaerens, in metallis nigrescens, igni expositum deflagrat cum fumo accensi sulfuris et flamma coerulea.

Analysim chemicam exactam aquae fontis 1-mi et 2-di dederunt Meissner et Reutner A. 1827. Fontis vero novi nondum habetur.

Partes constituentes simplices in 16. Unc. aquae.

	Fontis I.	Fontis II.
Gas hydrogenii sulfur.	0,90 (2,1 p. C.)	4,50 (10.8 pol. C.)
Gas acidi carbonici	13,00 (31,40 p. C.)	14,40 (34. pol. C.)
Acidi carbonici	4,92	3,70
Acidi sulfurici	0,04	0,62
Acidi muriatici	0,84	0,61
Calcariae	2,54	2,43
Magnesiae	1,03	0,36
Natri	4,76	3,61
Silicae	0,80	0,70

Partes constituentes legibus affinitatis chemicae unitae :

	Fontis I.	Fontis II.
Gas hydrogenii sulfurati	0,90	4,50
Gas acidi carbonici	13,00	14,40
Calcariae carbonicae	4,50	4,30
Magnesiae carbonicae	2,30	0,80
Natri carbonici	5,20	3,70
Natri sulfurici	3,90	1,50
Natri muriatici	1,80	1,30
Silicae	0,80	0,70

Aquae Parádienses hepaticae, ut autumare licet, efficaciae certe insignis, perparum adhuc notae sunt, quam ut justus earum obtineret usus; at vicinarum regionum incolae iisdem utuntur illamque fontis Nro. 1-mi, non obstante odore minus grato, sat copiose bibunt, potu fere communi, cui tamen assvefiendum prius, ut sapiat. Populus adeoque hactenus unicus aquarum harum observator plura refert observata, e quibus earundem virtus medica erui potest; cum tamen observationes strictae, e quibus inductiones exacte formari queant, plane desint; hinc virtus medica fontium plurima parte, e contemplatione partium constitutarum, et ex analogia deducenda veniet, iisque omnem, quam aquis sulfureis adscripsimus, efficaciam adtribuimus. Quare, aquas has certe majorem Medicorum attentionem mereri, ac hactenus factum est, sponte patet. Cogitandum tamen de methodo adplicationis apta, cum raro frigide adplicari possint, atque calefactione multum virtutis perdere debeant: illa videtur aptissima esse, quae forma balnei vaporosi fieret, ope lapidum candescentium in aquam recentem haustam injectorum.

L i t e r a t u r a.

- P. Kitaibel** über die Matra Gebirge, in topographisch-naturhistorischer Rücksicht, (in literarischer Anzeige für Ungern 1799. Februar Nro. 7 — 8. S. 15 — 31. — März Nro. 12. 13. S. 45 — 61.) über die Paráder Mineralwässer.
- C. v. Szepesházy** und **J. C. v. Thiele**, Merkwürdigkeiten 1825, Th. 2. S. 43.
- J. v. Csaplovics** topogr. statistisches Archiv von Ungarn, Wien 1821, Bd. 1. S. 194.
- C. v. Szepesházy** und **J. C. v. Thiele**, Neuester Wegweiser 1827. S. 142 — 157.

- P. T. Meissner und J. Reutner**, chemische Analyse der Mineralquellen zu Parád unweit Gyöngyös in Ungarn 1827.
- J. v. Csaplovics** Gemälde von Ungarn. Pesth 1829, S. 93.
- P. Kitaibel** Hydrographica Hungariae Pestini 1829. T: 2. pag. 162. — 175.
- J. Schuster**, Tabella apud Kitaibel. T. 2. pag. 206 — 207.
- E. Osann**, physicalisch-medizinische Darstellung der bekannten Heilquellen. Berlin 1832. Th. II. S. 258 — 260.

§. 18.

Aqua Szobránczensis.

In Comitatu Unghvariensi 1200 orgyis ab oppido Szobráncz in collis complanati vertice, scaturit aqua mineralis Szobránczensis; distat 2. milliaribus Unghvárino, 4. stationibus Cassovia, pertinetque familiae Comitum Sztáray. Proximi circa fontem montes fatiscente constant potissimum porphyro, cuius massa argillacea granis interspersa feldspathi, plus minus indurata, plerumque obscure fusci, fusco-nigri, cinereo-nigri est coloris; non raro etiam basaltica. A porphyri huius varietatibus decompositis, solum circa scaturigines aquae argillaceum est, pallide fuscum, aut fusciscenti-albidum.

Situs loci summopere amoenus est, parte enim una oculus immensam fructuum fertilissimam planitiem, altera vero laetus vitibus celebres montes Hegyalenses, vini Tokayensis patriam, dum in aliam directionem motus juga unghváriensia et bereghiensia, cernit.

Fama medica harum aquarum adeo diffusa est, ut a numerosissimis inviseatur infirmis, quibus et ae-

dificia pro habitatione, et adparatus pro balneis separatis, aptus paratus est.

Scaturit aqua cum bullis majoribus ea copia et constantia, ut balneis nunquam non sufficiat; — Odor aquae est sulfureus, adeo fortis, ut eminus percipiatur, et omnis circum aura eodem repleta sit: — Est continuo turbida, lactescens, lac aqua dilutum referens; — saporis est amaro — salsi, qui in subdulcescentem desinit; — temperaturae $13\frac{1}{2}^{\circ}$ — 14° R. atmosphaera 17° R. tenente. Actione aëris atmosphaerici exposita sedimentum (praecipitatum) griseoalbum deponit. — Adnumeratur aquis terreo-salino-sulfureis.

Aqua scaturiginum in binis ligneis colligitur receptaculis, ex his per canales ligneos ducitur in bina athena, in quibus pro balneis calefit, calefacta per canales defluit in labra seu cados conclavibus pro usu lavantium contentos, aqua fervida, temperatur frigida recente ex illis receptaculis hausta.

Analysis chemica in libra hujus aquae exhibuit:

Natri muriatici	.	.	.	20,00 gr.
Calcariae muriatiae	.	.	.	12,00 —
Natri sulfurici	.	.	.	1,00 —
Calcariae sulfuricae	.	.	.	6,00 —
Magnesiae sulfuricae	.	.	.	5,00 —
Calcariae carbonicae	.	.	.	4,00 —
Magnesiae carbonicae	.	.	.	2,00 —

50,00 gr.

Gas hydrogenii sulfurati in

100 poll. cub. . . . 40, poll. cub.

Secundum Kitaibel e fixis partibus constitutivis tenet solum: Calcariam et magnesiam carbonicam silicam et aluminam.

Observatione M. Dris Csermák Physici Comitatus Zempliniensis, aqua Szobránczensis potu et bal-

neo, atque eius caenum adhibita, eximiae sunt effi-
caciae, in omnibus malis, quorum mentionem jam
fecimus, in cuius tamen usu peculiare has observari
jubet regulas :

1) **Balneum** adhibeatur jejuno ventriculo, a
sensibus, altae temperaturae non assuetis, de die
semel, media hora, tepide, tamdiu donec nulla anxi-
etas oriatur; tardius, calore sensim aucto, bis de
die per horam integram. Plurimi post repetitum bal-
neum erithemate balneantium perfunduntur, corpore
toto, sensim augendo, critico, quo comparente usus
balnei continuandus est, donec erithema plenarie di-
sparuerit.

2. **Potus** aquae huius fiat mane jejuno ventri-
culo, omni hora medio scypho, motu interposito, do-
nec alvus una sequatur; hac subsequuta adhuc hauri-
antur duo scyphi, qui alvos circiter tres producent.
Melius digerentes, robustiores quantitate majore,
initia potus ponere possunt.

L i t e r a t u r a.

- H. J. v. Cranz. Gesundbr. der Oest. Monarchie
Wien 1777. S. 187.
- J. v. Szepesházy und J. C. v. Thiele Weg-
weiser S. 216 — 219.
- J. v. Csaplovics. Gemälde von Ungarn 1829.
S. 100.
- P. Kitabel. Hydrographica Hungariae 1829 T. 1.
pag. 286 — 294.
- E. Osann, physikalisch-medizinische Darstellung
der bekannten Heilquellen 1832. T. 2. S. 265 —
267.

§. 19.

Praeter has prolixius quidquam pertractatas aquas sulfureas, numerosas adhuc in sinu regni Hungariae scaturiunt calidae aequae ac frigidae aquae sulfureae salubres. Cum vero uberiolem harum perlustrationem arcti hujus libelli vetent limites, eas tamen silentio praeterire nolens, sufficiat ut totalis habeatur conspectus, eas per Comitatus duntaxat enumerare. Ex analysibus chemicis, H. J. a Cranz, nec non multorum cel. in arte virorum, nominatim Prof. Chemiae et Botanicae in Universitate nostra P. Kitaibel, qui ab A. 1795 — 1814 suos in hunc scopum impendit conatus, indoles harum aquarum manifeste sulfurea, luculenter elucet; quare nec cel. Osann recentissimis temporibus dubius haesit, eas in ordinem suum systematicum recipere, atque aquis sulfureis adnumerare. Sunt autem sequentes:

1. Comitatus Nitriensis.

Aqua Bajmócensis, ab oppido Bajmóc exiguo separatur monte, ad cujus radicem scaturit, temperaturae minoris est ac thermae Püstyénenses, balneum habet.

2. Comitatus Trenchiniensis.

Aqua Belussiensis, 1/2 hora ab oppido Belussa distans, tepida pluribus prorumpens scaturiginibus, ad nullos hucadusque medicos impenditur usus.

3. Comitatus Zoliensis.

Aquae Neosolienses, sunt aliae limpidae, aliae opalisantem lacteumque praeseferunt colorem, odoris hydrothionici, saporis acescentis ingrati, tem-

peraturae 7° R. Reagentia stitere parum acidi carbonici et muriatici, plus sulfurici, plurimum calcariae sec. Kitaibel.

4. Comitatus Honthensis.

Aquae Magyaradenses, tribus memorabilioribus scaturiunt venis cum copiosis bullis, deponunt calcariam cum sulfure mixtam, e foraminibus foetor sulfuris prorumpit.

Aquae Szántoenses, sunt limpidissimae excolores, odorem sulfuris vix notabilem spargunt, mixtionis ejusdem ac priores.

Aquae Gyügyenses, plures ad pagum Gyügy frigidæ scaturiunt.

Aquae Méreenses, numero sunt sex: Kitaibel duas solum analysi subjecit, eam in colle majore, et sulfuream in colle minore.

5. Comitatus Neogradiensis.

Aqua ad Poltás, ab incolis slavibus Ričhanka nuncupata, sulfur continet, aquae Parádiensi multum analoga.

6. Comitatus Strigoniensis.

Aquae Strigonienses, tres in hac Civitate animadversione dignae occurrunt calidae, quarum prima notatu dignissima reperitur ad montis arcem gestantis pedem, hunc inter et vicinissimum Danubium; est excolor, limpida, saporis nullius, odoris hepatici subtilis, decoctionis processu augendi, temperaturae 22° R. adhibetur forma balnei; — altera parium qualitatum in horto molitoris pluribus abunde scaturit locis, quondam balneo adhibita; — tertia ejusden fere indolis est in ripa Danubii minoris, aedificio lapideo cincta, hodie neglecta, cum parum praebeat aquae:

ea Danubio increscente abundat, detumescente caret. — Praeterea e radice montis St. Thomae numerosis venis prorumpens, aqua, est limpida, saporis fatui, odoris ingrati hepatici, temperaturae 22° R. pro balneis adhibetur.

Aqua Ebediēsis calida e duabus scaturit venis inter possessionem Ebed et Danubium, est limpida, deposito in modica distantia eandem opacante sabulo, excolor, odoris hepatici, quem non paucum atmosphaerae indit, quive ex aqua vase aperto per septimanas servata intensior prodit, saporis nullius, temperaturae 19° R.

Aqua Sárísápiēsis calida ad sic dictum Quadriburgum, in distantia $\frac{1}{2}$ horae a possessione Sárísáp, limpida, excolor, insipida, odoris hepatici, temperaturae 25° R., velut vicaria olim existentis, jam suppressae scaturiginis, haec prosilit aqua.

7. Comitatus Pesthinensis.

Thermae Budenses vulgo hydrothionicis adnumerantur, ast, ob exigua quae tenent vestigia gas hydrogenii sulfurati, minime huc pertinent. Unica duntaxat fortuito inventa scaturigo, temperaturae 46° R. gas hydrothionici 3, 254 poll cub. obtulit. ff)

Aqua Nagy-Körössiensis, secundum analysim recentissimam a Barra institutam, continet, acidum hydrothionicum, carbonicum, muriaticum: sulfur, ferrum, natrum, calcariam, argillam, atque silicam.

ff) P. Kitaibel Hydrogr. Hung. T. I. pag. 115. — 175. Pr. Xav. Linzbauer Conspectus thermarum Budensium. Budae 1832.

8. Comitatus Soproniensis.

Aqua Bahlfensis in pago Bahlf (Wolfs) frigida e duobus provenit venis, quarum altera ad balneum adhibetur, altera autem potui inservit, quin essentialiter discrepent.

9. Comitatus Comaromiensis.

Aqua Almásiensis ad Almás prosilit e venis plurimis tanta copia, ut intra $\frac{1}{2}$ horam labrum \square in diametro 2 org. in profunditate 2 $\frac{1}{2}$ ped. repleat, lim-pida est, ingruente tempestate turbatur, odoris subtilis hepatici, aestate friget, vere et autumno tepet, hieme calet.

Aquae Tátenses scaturiunt in horto anglico ad Tóváros (Seestadt) copia summa, tam hae quam complures aliae minores Almásiensi simillimam largiuntur aquam.

10. Comitatus Abaujvariensis.

Aqua Kékediensis frigida, recentissimis temporibus a copiosis invisitur hospitibus, adhibetur forma balnei felicissimo cum successu in paralysibus, arthriticis, rheumaticis et haemorrhoidalibus affectionibus.

11. Comitatus Zempliniensis.

Aqua Kelcsensis non pridem ab Jekelfalus-sy detecta, fortem eructat odorem hepaticum, ad balneum adhibetur.

12. Comitatus Sárossiensis.

Aquae Lipóczenses frigidae in oppido Szinye-Lipócz, 4 horis Eperjessino distante, e pluribus

scaturiunt venis, quae, quondam a St. Jóna analysi chemicae subjectae, quoad partes constituentes discrepant, plurimae videntur esse hepaticae, sub continuo enim murmure protrudunt foetorem sulfur olemtem. Recentior harum aquarum desideratur analysis.

Aqua Stjavnikensis frigida in pago Stjavnik ad Sztropko in limite Comitatus prorumpit, et pro balneis adhibetur.

13. Comitatus Scepusiensis.

Aqua Ruschbachensis (Rauschenbach) scaturit cum forti ininterrupto strepitu, densum emittendo vaporem, in valle domini Podolin, in remotione unius horae ab oppido ejusdem nominis, olim insigni gloriabatur fama; est limpida, pellucida, opalisans, penetrantis odoris sulfurei, salsi titillantis saporis, in ahenis, in quibus calefit pro balneo, deponit crustam e subtili, albo, terreo pulvere constantem, ab Engel et Kitaibel investigata.

Aqua Bélensis frigida ad civitatem Béla, ab anno 1817. balneatoriam habet domum.

Aqua Leibiczensis terrenum oppidi Leibicz duos recondit fontes, e quibus frigida prorumpit aqua, quorum alter dimidia hora distans, in valle balneo provisus, alter in prato Judicis situs, in usu non est.

Aqua Smerzsonkensis aequae frigida in vicinia Claustri rubri (des rothen Klosters) scaturit.

14. Comitatus Gömöriensis.

Aqua Királyensis ad pagum Király est limpida, excolor, saporis ingrati, odoris hepatici, multas evolvens bullas, sub coctione albidum deponens sedimentum, interno et externo adhibita usu, in der-

mate exanthema producit, forma tamen balnei salutaris exerit effectus.

Aqua Hajnatskőensis in planitie inter Hajnatskő et Almagy scaturit, est semper turbida, bullas copiosissimas cum strepitu emittens, odoris penetrantis sulfurei, coctione augendi, saporis aciduli mordacis.

Aqua Szutoriensis e solo argillaceo provenit in planitie, turbida seri lactis ad instar, odoris sulfurei, saporis acidi pungentis, semper frigida, priori quoad efficaciam similis, potum tamen amoeniorem praebet.

15. Comitatus Borsodiensis.

Aqua Szendrőensis frigida forma balnei adhibetur.

16. Comitatus Aradiensis.

Aqua Monyászensis in valle amoena oppidi Monyásza scaturit inter marmor rubrum albo variegatum, vena sat lata; est limpida, excolor, odoris debilis hydrothionici, insipida, tepida; pars constitutiva momentosissima ejus est ferrum junctum acido hydrothionico, et calcariae (?) — praeter hanc plures aliae in vicinia occurrunt, minus tamen tepidam fundentes aquam.

Aqua Pankntensis possessionis Pankota ad radicem montis, fertur ante saeculum Turcis celebres praebuisse thermas, est debilis odoris hydrothionici.

Aqua Ménesiensis 1812 per Jos. Sadler investigata; — dum lagena aperiebatur, cum sibillo se evolvit odor gas hydrothionici, qui se etiam ad epistomium monstravit; at reagentia quaecunque nota

gasis hujus quantitatem nullam figere potuerunt, licet indubia ejusdem sit praesentia.

17. Comitatus Bihariensis.

Aqua sulfurea *Dagadó-Forrás* dicta scaturit in amoena valle in terreno pagi Kalugy. Scaturigo haec memorabilis secundum *Csaplovics*, indeterminatis temporibus magnam protrudit aquae copiam, praecedente vehementi strepitu subterraneo. Aqua est limpida, frigida, saporis grati, nunquam gelascit.

18. Comitatus Marmarosiensis.

Aqua *Dragomirfalvensis* frigida, ad pagum ejusdem nominis prosilit.

19. Comitatus Békesiensis.

Aqua lacus *Gyóparos* ad viam quae *Oroszházium* ducit, est coloris flavo-brunescentis foetoris uti putridi, sulfureo seu hepatico accedentis.

§. 20.

Existunt adhuc quaedam aquae, quas vulgus fert creditque esse sulfureas, ast, cum aquarum harum hucadusque desiderantur analyses chemicae, merito indoles earum sulfurea in dubium vocari potest; nihilominus tamen merentur enumerari, ut quaedam dubiae censentur, innotescant, attentione Medicorum condecorentur, investigationibus chemicis subjiciantur, sicque natura harum dubia elucubretur. Numerantur vero sequentes:

Aqua St. Georgii	}	in Com. Pisoniensi.
— Stomphaënsis		
— Varkonyensis	}	— — Nitriensi.
— Eckbélensis		
— Nagy-Ugrotzensis	}	— — Barsensi.
— St. Ladislai		
— Moragyensis)	— — Veszprimiensi.
— Várhelyensis		
— Kovácsensis)	— — Tolnensi.
— Rudnokensis		
— Rudnokensis)	— — Sümeghiensi.
— Homonaënsis		
— Mádensis	}	— — Abaujvariensi.
— Szerentsensis		
— Toltsvaënsis)	— — Zempléniensi.
— Vilecz-Hurkensis		
— Cibiniensis)	— — Sárossienai.
— Baldoczensis		
— Schmöksensis)	— — Scepusiensi.
— Lukovistjensis		
— Bajfaluensis)	— — Gömörüensi.
— Mikolaënsis		
		— — Szathmáriensi.

Insignis aquarum sulfurearum in Hungaria numerus, procul abest, ut, quam expectare liceret, incolis praestaret utilitatem; — cujus praecipua causa aquarum indagatio deficiens absque dubio est. Eximii tamen Chemiae recentioris progressus, et Medicorum indefessa diligentia, spem faciunt fore, ut hi vitae et sanitatis fontes exactius cognoscantur, in scientiae incrementum, mortalium solamen, et dulcis patriae nostrae decus.

T h e s e s .

1.

Aquae sulfureae stimulando agunt.

2.

Mixtio aquarum sulfurearum a potentiis cosmicis independens est.

3.

Balnea calida numerum et vim pulsuum imminuunt.

4.

Tussis id quod vomitus relate ad organa, habita ratione effectuum.

5.

Sanitas ubique vitae effectus est.

6.

Diathesis gastrica et biliosa sidere ardente solennis.

7.

Medicus rationalis genium epidemicum aequae ac stationarium noscat, necesse est.

8.

Ophthalmia specifica symptoma morbi latentis universalis nequaquam constituit.

9.

Acetas ammoniacae solutus, non est Spiritus Mindereri.

10.

In animi deliquio et asphyxia circuitus sanguinis non interrumpitur.

11.

Arteriae in venas immediate non transeunt.

12.

Ille plures sanat, in quem multi fidunt.



12
P. 275

PESTHINI 1833.

